ALEXITERIUM

Sive

OPUSCULUM

CONTINENS REMEDIA

ADVERSUS

VENENA

ET

MALEFICIA

Auctore

GEORGIO

FRANCISCO

Weiß/

Philosophiæ & Medicinæ Doctore Urbis Marcoduranæ

PHYSICO


Anno M. DC. LXXXXVIII.

Cum Licentia superiorum



COLONIÆ AGRIPPINÆ

Typis PETRI THEODORI HILDEN Universitatis Typographi.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO

D. JOANNI WILHELMO

COMITI PALATI-
noRheni S. R[illegible]chi-
thesaurario & Electori, Ba-
variæ, Juliæ, Cliviæ & Montium
Duci, Veldentiæ, Sponheimii, Mar-
chiæ, Ravensbergi ac Moersæ Co-
miti, Ravensteinii Domi-
no; &c. &c.

PATRI PATRIÆ,

Domino Meo Clementissimo

D. D. D.

Sc-

Serenissime & Potentissime Princeps Elector Domine Clementissime



MEdicinæ partes, Serenissime Elector, si quis ejusdem spectet officia, duæ sunt, quarum altera sanitatem tuetur; altera morbos profligat: atque ideò eam definit Leon. Fuchsius c. 3. L. 1 sect. 1. instit. Medicarum, quod sit Ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata. Inter morbos autem cum imprimis numeranda & vel maxime metuenda sit, ac deploranda tristissima illa meta-

morphosis, quam in corpora humana res venenatæ præ ipsis maleficiis natæ sunt multiplici modo inducere, & prô dolor sæpe sæpius, accedente præsertim hominum invidiâ, inducunt, cum ingenti familiarum Illustrium, Ditionum, Regionum ac Regnorum luctu; idcirco pro communicatis mihi ab Altissimo, qui creavit de terrâ medicamenta, & ideo vir prudens non abhorrebit illa, Eccl. 38. v. 4. in arte medica talentis, hoc opusculum elaboravi: opusculum inquam, quia meus, viri tenuioris atque adversus malevolos infirmioris partus est, ast opus esse alii, ut spero, proclamabunt, studiosi scilicet ac gnari lectores, æqui æstimatores rerum atque arbitri: Opus audiet egregium, ut primum è typo in publicam lucẽ venerit sub auspiciis ELECTORALIS TUÆ SERENITATIS, *cujus gratioso ac sancto nomini dicari flagrat & consecrari; atque eò quidem ardentiùs, quod*

quod eandem cum Serenissima Electrice, cum utriusque Principali & Ducali Domo tota, præ hominibus omnibus ab omni veneno præservari cupiat & si opus fuerit, quod avertat Deus, integrè curari, atq; eò consilium omne suum atque auxilium cum Authore suo ex arte conferre.

Ita testor ac voveo

Electoralis Serenitatis
Tuæ humillimus Servus

GEORGIUS FRANCISCUS
WEIS.

Ad



AD LECTOREM

OPusculum hoc, amice Lector, amor tui ex arte meâ deprompsit, breve quidem at clarum, ne cupidum legendi aut rerum absterreret copia, aut verborum obscura subtilitas molestiâ afficeret; verum multò utilius ad tuendam sanitatem rectamq; constitutionem atque habitudinem corporis tui, ne à veneno quandoque destruatur, corrumpatur, inficiatur; imò ne tangatur quidem; funditùs enim explicat naturam veneni, res venenatas in classes & species usq; ad singularia sive individua dividit, ob oculos ponit earum nocendi modos, commonstrat signa cognoscendi, & quòd præcipuum est subministrat & fere in manus porrigit communia & propria præservativa & curativa remedia. Fac igitur, opusculum hoc frequens sit in manibus tuis, oculis, sinu, & potissimùm mente ac memoria: ut eodem duce venena omnia procul à te arceas & repellas.

ELEN-

EPIGRAMMA
In cognomen *Weis*

LEMMA: *uſu ſapientia creſcit.*



Rgóne cenſuras fugient tua
ſcripta, Georgi?
Albus es, aut *Sapiens*, aut es
utrumque ſimul.
Quidquid es, Expertum ſpecimen ſuper
arte medendi.
Prodiit, ut nemo te *Sapiiſſe* neget.
Hanc tumulo tecum condi, ſcelus eſſe
putâſti,
Poſteritas dicet: *VVeis Sapienter*
agit.
Hoc manuale ſibi faciant commune,
quot optant
Abſque venenoſis vivere poſſe ma-
lis.
Eſt aliquid morbos cognoſcere, poſſe
mederi
Eſt magis; exactus præſtat utrum-
que labor.
Calculus hinc *Albus* meritò debetur
eidem:
Critice vel ſileas aut imiteris opus.

Ita Expertiſs. D. Authori applaudit
JOANNES OVERBECK
Medicinæ Doctor Facult. Me-
dicæ Prof. primarius & Pro-
motor perpetuus.

In Authorem



STa, lege, quiſquis amas producere ſtamina vitæ,
Stamina nec ſtygiis interitura dolis.
Author adeſt, medica clariſſimus arte Machaon,
Herba tuam curat, non vafra verba, luem.
Parcior in verbis aperit, vis quanta veneni.
I liber Authoris gloria magna tui.
I liber audaci (quid enim vetet ire?) per urbes,
Per patrias greſſu; qui comitetur, habes:
Utilitas ingens, in amaris caſibus inſons
Conſilium, Magni gratia prona Ducis.
Zoile num libri tenuem vis carpere molem?
Et Pretioſa ſuum gemmula pondus habet.

Ita expertiſs. Doctori accinebat

P. F. H.

ELENCHUS CAPITUM

Cap. I. Exegesis sive explicatio veneni.
Cap. II. Distinctio & divisio venenorum
Cap. III. Signa venenorum & maleficiorum.
Cap. IV. Ars & praxis venena præcavendi.
Cap. V. Curatio venenorum universalis
Cap. VI. Venena intra sumptarum ab homine rerum vegetabiliũ in specie cum antidotis.
Cap. VII. Venena intrà sumptarum animantium in specie, cum antidotis.
Cap. VIII. Venena intrà sumptarum rerum mineralium in specie, cum antidotis.
Cap. IX. Curatio universalis morsûs & ictûs animalium Venenatorum.
Cap. X. Venena & signa canis rabidi morsique ab eo hominis, cum remediis.
Cap. XI. Remedia adversus morsus ictusque aliorum animalium in specie.
Cap. XII. Curatio vulneris, instrumento intoxicato illati.
Cap. XIII. Quædam additamenta.
Cap. XIV. De Philtris, fascinationibus, maleficiis &c.

Spalmata extantiora

Pag. 2. n. 3. lin. 25. galinarum leg. gallinarum.

Pag. 2. n. 4. lin. 10. pro alium leg. aliorum.

Pag. 6 n. 11. lin. 4. frumenta lolio permixta.

Pag. 8. n. 16. lin. 10. partes extremæ frigidæ.

Pag. 9. n. 18. lin. 20. pro lunationes leg luxationes.

Pag. 10. n. 20. lin. 9, aſt debet omitti.

Pag. 10. n. 20. lin 19. pro opotum lege epotum.

Pag. 13. n. 26. lin. 19. pro & lapidi lege eſt lapis.

Pag. 16. n. 32. lin. 27. pro calore leg. colore.

Pag. 18. n. 35. lin. 24. pro enumera leg. innumera.

Pag. 18. n. 36. lin. 9. pro tam lege tum.

Pag. 22. n. 44 lin. 3. pro radicio leg. radicis.

Pag. 23. n. 46. lin. 2. pro faba quod leg. quod faba.

Pag. 24. n. 46. lin. pro ſuberventus leg. ſubcruentus

Pag.

Pag. 25. n. 49. lin. 4. pro venenis lege veneris

Pag. 25. n. 49. lin. 14. pro infe lege infert.

Pag. 26. n. 51. lin. 5. pro lixirio lege lixivio.

Pag. 26. n. 52. lin. 16. pro contingit lege contigit.

Pag. 27. n. 53. lin. 25. pro conitis lege cognitis.

Pag. 28. n. 55. lin. 5. pro fœtibus lege fomentis.

Pag. 28. n. 56. lin. 3. pro parmulis lege palmulis.

Pag. 30. n. 60. lin. 24. pro balarlino lege balalino.

Pag. 32. n. 63. lin. 15. pro jam lege tam.

Pag. 32. n. 64. lin. 20. pro ten. leg. terr.

Pag. 44. n. 67. lin. 22. pro prædicamenti leg. medicamenti.

Pag. 35. n. 69. pro thymeleæ lege thymelea.

Pag. 35. n. 70. lin. 3. pro terræ lemnia leg. terra lemniæ.

Pag. 36. n. 71. lin. 17. pro nartutii lege nasturtii.

Pag. 36. n. 52, lin. 7. pro rotata lege rorata.

Pag. 38.

Pag. 38. n. 76. lin. pro virumque lege viriumque.

Pag. 39. n. 78. lin. 19. pro etiam lege nunc.

Pag. 40. n. 79. lin. 7. pro quia lege quin.

Pag. 40. n. 80. lin. 13. pro ad lege ana.

Pag. 42. n. 84. lin 1. pro camino lege cumino.

Pag. 44. n. 88. lin. 5. pro lardius lege largius.

Pag. 44. n. 88. lin. 19. pro felle lege fel.

Pag. 48. n. 96. lin. 8. pro conytæ lege conyzæ.

Pag. 50. num. 99. lin. 10. pro malo lege malv.

Pag. 50. n. 100. lin. 5. pro bismalo leg. bismalv.

Pag. 50. num. 100. lin. 25. pro malo leg. malv.

Pag. 51. n. 101. lin. 27. pro malo leg. malv.

Pag. 52. n. 103. lin. 6. ad omissum est.

Pag. 53. n. 105. lin. 3. pro auri lege acori.

Pag. 54. num. 107. lin. 8. pro debeant lege debent.

Pag. 56. n. 111. lin. 4. pro Cobaltum lege Chalcitis.

Pag.

Pag. 57.num.114. lin. 1. gricantes lege nigricantes.

Pag. 59. num. 118. lin. 15. pro odellium lege bdellium.

Pag. 60. num. 119. lin. 25. pro raſtrum lege roſtrum.

Pag. 67. num. 133. lin. 6. pro hydropici lege hydrophobi.

Pag. 65. n. 150. lin. 18. pro ill lege illi.


Pag. 76. n. 152. lin. 25. pro populem leg. populeon.

Pag. 82. n. 163. lin. 17. pro adducunt lege adducant.

Pag. 84. n. 166. lin. 25. pro umbræ lege hæ enim umbræ.

Pag. 86. n. 169. lin. 1. pro clolo lege collo.

Pag. 86. n. 170. lin. 5. ſcobe tenuiſſima auri omiſſum eſt.



CAPUT I.

Exegesis sive explicatio veneni.



VEnenum in genere denotat omne id, quod omnibus corporis humani partibus tam solidis, quàm liquidis ac spirituosis nocivum & deleterium existit: solidas quidem erodendo aut corrodendo, liquidas nimis fundendo, coagulando, præcipitando easdem nimis fermentando &c. spirituosas denique in texturâ & motu turbando.

Differt ab alimento quod corpus est animalis naturæ ita simile & conveniens, ut ab ejus calore & fermentatione subigi & in naturam ejus converti possit.


Differt quoq; à medicamento, quod naturam nostram alterare & à statu præter-

ternaturali ad naturalem reducere potest: Venenum contrà corrumpit corpus nostrum ac demolitur. partem enim aut humorem aut spiritum, cui adhæret, in suam transfert naturam, totamque venenatam efficit; si non statim, temporis saltē successu, modo promptiùs, modò tardiùs; prout sua est naturæ malignitas, corporisque venenum excipientis dispositio, & eorum quæ venenis admiscentur vis ac facultas. Etenim venenum malignitatis suæ vires non certo ac definito diei, aut horæ, aut mensis, aut unius anni vel plurium termino exerere posse putamus, multòque minùs ullum animal credimus assuescere aut nutriri posse venenis citrà gravissimam valetudinis suæ vitæque perniciem, aut aliorum quibuscum habet commercium, summum detrimentum: Proinde ridiculum videtur, quod legitur in Avic. olim puellam formosissimam Napello nutritam fuisse, eam tantùm ob causam, ut Reges ac Principes, qui cum ea rem haberent, intoxicaret: Nec tam facilè credendum aliis, qui ajunt carnes quorundam animalium, quæ naturâ venenosis cibis vescuntur,

ex iisque nutrimentum capiunt (quemadmodum cicutam sturni, Coturnices veratrum depascunt; sicut anates in stagnis & paludibus degentes, bufones aquaticos ingerunt; veluti ciconiæ serpentes devorant; uti serpentes bufones; gallinæ scorpiones, araneasque deglutiunt) non modò non inficere, sed nullam prorsus inferre noxam: imò alimentum potiùs laudabile ac succulentum non secus ac aliorum animalium carnes corpori suppeditare. Sanè experientia contrarium docet, siquidem lac emulctum è capra veratrum aut elaterium aut tithymalum aut scammonium vescente, si cuidam hauriendum propinetur, mirum in modum solvit alvum; Ratio est, quia caro capræ, imò & ipsum lac induit quodammodo naturam comestarum illarum à caprâ venenatarum plantarum, quæ sumptę ab hominibus horum alvum vehementer solvere solent, sic carnes turdorum, vescentium baccis juniperi, juniperum redolent: sic carnes galinarum, edentium absynthium, hujus sapiunt amaritudinem. Propterea Medici, præscribentes ægris lac asinæ aut capræ, jubent hæc anima-

lia enutriri herbis, quæ naturâ suâ efficaces aut certè utiles sunt ad ægrorum illorum morbos curandos. Enimvero passim constat eam esse alimenti cujusvis naturam, ut licet alendo formam suam deperdat, attamē suas qualitates viresque alendis partibus impertiat (uti lactuca ventriculum & corpus refrigerat, vinum verò calefacit) hinc necessariò sequitur alium animalium cibariis venenosis victitantium corpora qualitatem venenatam assumere: ac proinde citrà noxam nulli ad alendum corpus usui esse posse, statuendum est. Veruntamen venena quædam, potissimùm frigida, absque jacturâ valetudinis nostræ esculentis admisceri & quodammodo sumi posse absolutè non negamus: Ita enim Gal. quandā recenset Atheniensem vetulam cicutâ in cibis absque ullo sanitatis suæ detrimento usam fuisse: hoc verò non sinè admixtione factum fuisse arbitramur: quin etiam in vigiliis immodicis ad conciliandum somnum, in dysenteriâ, in mensium immodico profluvio &c decoctum papaveris, hyoscyami, mandragoræ, vel medicamenta ex his parata commodè ordi-

dinari possint, nemo erit, qui dubitabit. Lubentissimè quoque nonnulla venena haud alio remedii genere, quàm aliis venenis aptiùs exturbari posse fatebimur: sic enim humores pernitiosos noxiosque in intimo corpore latentes, venenis utpote turpetho, scammonio, colocynthide, elleboro foras propulsamus; sic canis rabidi morsum sanamus cantharidibus; taliter scorpionum ictui medemur scorpionum applicatione, uti & euphorbio eidem succurrimus. Nihilominùs tamen animalium cibis venenosis vescentium corpora in cibos nostros non admittenda esse censemus: Nec ullum unquàm animal sine maximo vitæ suæ periculo venenis posse assuescere statuimus.



CAPUT II.

Distinctio ac divisio venenorum.

VAria autem dantur venenorum genera, diversæ species, nec non differentiæ plures: quarum prima desumenda ab ortu seu natalibus. Quodlibet enim venenum vim suam exitiosam

ſam ſortitur vel ex plantis, vel ex animalibus, vel ex mineralibus. Plantas censemus lethales, quæ totaliter ciborum naturæ ſunt contrariæ, & quæ intra corpus ſumptæ in corporis partium ſubſtantiam nullatenùs mutantur, ſed potiùs partes in ſe ipſas transmutant: Hujuſcemodi ſunt toxicum, ixia, meconium, ſardonia herba, cicuta, aconitum, elleborus &c. Ex animalibus quædam ejaculantur virus, quædam morſu ſuo, quædam ictu, quædam intrà corpus aſſumpta, uti & quorundam animalium carnes devoratæ hominem interimunt: In horum numero ſunt omnia genera ſerpentum, vipera, Dypſas, baſiliſcus, aſpis, ſalamandra, rubeta, ſcorpio, lepus marinus, Cantharides, erucæ pinorum, aranei, canis rabidus, alii quadrupedes, corpora animalium peſte vel rabie, vel ictu fulminis, vel morſu enectorum. Quanquàm non pauci ſpargant venenum per mortem animalis conſumi, ex eo, quòd Cervi, apri ac cæteræ feræ, quæ ſagittis veneno inunctis aut ictibus ſclopetariis occūbunt, abſque noxa comedantur. Venenorum permulta genera depromimus ex mineris

ris ac fodinis metallicis, è quibus nocivæ exhalationes prodeunt: In quorum numerum veniunt Cerussa, argenti spuma, argentum vivum, sandaracha, gypsum, magnes, auripigmentum, æris squama, ærugo rasilis & cætera.

Secunda desumitur à modò seu forma, quâ enecant venena: quædam enim per os assumpta, quædam foris applicata, quædam utroque modo hominibus lethum inferunt. Quæ intrò sumpta vitam rapiunt, per modum cibi & potus vel medicamenti exhibentur plerumque, à quibus Reges, Principes, Magnates & odio habiti summoperè sibi caveant, necesse est. Quæ foris applicata tantummodò inficiunt, à venenatis animalibus ac mortiferis potissimùm desumuntur: Talia enim non morsu solùm vel ictu, sed & visu, sibilo & tactu homines interficiunt: præter quæ alia odoratu & gustu vitæ pernitiem adferunt: sic visu basiliscus; sic morsu & ictu viperæ, aspides, scorpiones, canes rabidi; sic serpentes tactu; ut serpens ille (de quo Avic. mentionem facit) à milite quodam hastâ transfixus, virulentiam suam per hastam militis manui communi-

nicans eandem infecit illicò, totumque corpus paulo post destruxit. Sic torpedo piscis manum Piscatoris reddit torpidam; sic sputum canis rabidi, hominis corpus attingens, similiter ipsum rabie afficit, ac si ab ipso cane demorsum esset; sic suffitus aut illitus ex hydragyro, Cinnabari, sublimato symptomata causat sævissima, imò & ipsam nonnunquàm mortem: sic auditu serpens quidam in Nubia multùm corpulentus, caput acutum habens, viridis coloris existens cuidam mortem intulit: sic gustu aspis surda sputo suo, quod licet non deglutiatur, nihilominus tamen perimit. Sic olfactu fungi (quorum Rhasis mentionem facit) hi dum è terra evelluntur, odore suo odorantem è medio tollunt.

Tertia à facultatibus & viribus sibi insitis desumitur: Nam venenum quoddam à crasi, aliud à forma, aliud utroque modo agit scilicet & crasi suâ & formâ: Venena quæ agunt à crasi, sunt vel calida, vel frigida, vel humida vel sicca: occidunt calida duobus modis: uno cùm tam intrò sumpta, quàm foris applicata erodunt, & sic continuum solvendo

vendo interimunt, ut lepus marinus: alterò cum intus & foris urunt, velut euphorbium. Duobus quoque modis enecant frigida: unô stupefaciendo frigore suô intensô, uti est opium: alterô suâ ingenti frigiditate respirationis meatus obstruendo, cujusmodi sunt plumbum ustum, & fungi venenosi. *Humida*, quæ excedente humiditate suâ membra putrida reddunt, ut videre licet apud Gal. qui refert quendam à serpente quodam morsum fuisse, cui in somno totum brachium putrefactum ac corruptum fuit. Idem efficit salamandra in pulverem redacta & cum liquore hausta. Argentum quoque vivum (si Majoribus credere fas sit) quod humiditate suâ modum exuperantè calorem corporis à natura insitum, humidumque radicale corrumpit, ut apparet in iis, qui unguentis mercurialibus inunguntur. *Sicca* duobus etiam modis inficiunt, Primò cordis humiditatem absumendo, & quasi in crustam convertendo, ut calx viva: alterô dividendo ac separando partem à parte, usque dum cuncta membra ad cor usque in partes minimas solvantur, quod facit

 risa-

risagallum. Venena quæ formâ specificâ seu proprietate occultâ hominem in ruinam corporis deducunt, eadem vires suas obtinent à quorundam siderum fixorum influxu, eorumque aspectu; & licet ea in tam parvâ sumantur quantitate, ut sensum effugiant, attamen usque adeò lethifera existunt, ut brevi temporis intervallô vitam auferant; talia sunt napellus aconitū, toxicū; id est taxus arbor: quæ assumpta totū corpus in momento immutant, idque affectione sibi simili alterant. Quæ verò venena qualitatibus manifestis simul cum occultis agunt, illud utroque modo quô prædicta, præstant: tale est euphorbium, quod non calefaciendo solùm sed & formâ specificâ pernitiosum existit. Veritatem luculentissimè demonstrat theriaca venenis omnibus proprietate specificâ operantibus resistens: hæc enim hausto euphorbio summè repugnat.

Quarta oritur à putredine, quæ cum in partibus corporis internis genita sit, vel si externa & ab externorum putridorum occursu suscitata, duo quoque venenorum genera oriuntur: interna scilicet

cet & externa : Interna venena seu intus genita sunt, quæ ab alimentis pravis vitiosam substantiam, habentibus contrahuntur, cujusmodi sunt frumenta, legumina, carnes, & quæcunque vetustate aut negligentiâ corrumpuntur: vel licet cibi sint probi succi, si tamen sint putrescibiles, facilè se veneni facie induunt: veluti sunt fructus horarii, lac &c. producuntur quoque ab humoribus in variis corporis partibus putrescentibus, v. g. à semine retento, aut sanguine menstruo. Quod à bile æruginosa aut porracea, aut ex putrido sanguinis grumo oriantur quam plurima venena, suborta inde testantur symptomata: qualia sunt epilepsià, suffocatio uterina, syncope, convulsiones &c. Externa venena ab occursu putridorum originẽ trahentia sunt aquæ stagnantes, aut aër infectus, vapores tetri ex quacunque re putrida exhalantes. *Sic* enim infaustus ac inauspicatus siderum aspectus aut concursus aërem venenatum reddit: sic austrini ac meridionales venti exitialem quandam putredinem in aëre generant: sic aquę stagnantes vaporem lethiferum exspirant: sic sentinæ, cloacæ, sepul-

chra,

chra, corpora demortua, erucarum abundantia, lanionum tabernæ, latrinæ, caulium putridorum acervi, bombyces, vicinia herbarum pravarum ut cicutæ, nerii, aconiti, taxi arboris, napelli, nucum juglandium, & aliarum herbarum malè-olentium, ut & putrem vaporem expirantia aërem venenata qualitate summéque noxiâ inficiunt.

Quinta species venenorum potissimum externorum petitur à mediis, per per quæ agunt: nonnulla enim absque ullius substantiæ medio inficiunt, uti sunt incantationes, fascinationes, præstigiæ, philtra, imaginationes, metus: ita sæpenumerò venenum infertur visu, quod non ignorant mulieres maleficæ, maximè vetulæ strabos ac torvos oculos habentes, quæ suo intuitu infantes persæpè destruunt, aut illis tantùm terrorem incutiunt, ut nonnunquã morbo comitiali corripiantur: ita feles suis lucentibus oculis quoscunque perterrefaciunt: ita philtra alios in amorem alliciunt: ita imagines & sigilla alios fascinant. Nonnulla verò venena non agunt ac operantur, nisi per medium alicujus substantiæ, uti ea, quæ vel morsu, vel ictu, vel olfactu, vel gustu. Sex-

Sexta species desumi potest à diversis partibus, quibus venena peculiari quadam naturâ noxam inferunt, & licet hoc sibi venena à natura insitum habeant, quod cordis facultatem sive primo, sive aliquo alio mediante opprimant, attamen nonnullas etiam alias corporis partes privatim inficiunt: non aliter, quàm in medicamentorum censu, alia cerebro, ut stœchas, alia cordi, ut viola, rosa, &c. alia pulmonibus, ut crocus, alia hepati, ut eupatorium, alia denique aliis corporum membris levamen atque auxilium ferunt, pari modo inter venena cantharides vesicæ, cicuta cerebro, lepus marinus pulmoni præcipuè nocent.

Septima postulatur à tempore, quo suam venenum actionem perficit, unde præsentaneum aliud, aliud temporaneum esse solet: hoc quidem quòd tardissimè, illud verò quod citissimè vitam abripiat.

Octava gignitur ex diversitate perniciei suæque malignitatis: unde aliud lethale, aliud non lethale nominatur: lethale dicitur, quod exitiosas vires suas exerens majori ex parte interimit, ex eo

qui-

quidem, quòd primaria vitæ ſuſtentacu-la lædat, cor ſcilicet & ſpiritus vitales: non lethale, quòd inimicas quidem vires ſuas exerit, ſed non tantas, quæ vitæ organa labefactare valent, ea ſolummodò, quæ inſtrumentis vitalibus miniſtrant: cujuſmodi ſunt ventriculus, pulmo, veſica &c.



CAPUT III.

Signa Venenorum ac Maleficiorum.

VEnenum intra corpus aſſumptum, aut extrà admotum non ſubitò ac immediatè ipſum cor petit, ſed ſenſim, ac mediatè, lædendo nimirùm alias partes, ſanguinemque priùs inficiendo, nec non ſpiritus vitæ opifices, quibus infectis cor tandem invadit, & omnia lethiferâ ſuâ agendi vi in ſuam venenatam naturam convertit. Idcircò non ſtatim apparent ſigna præſentis vel inficientis veneni, maximè hujus, quod fluit ab aëre putrido, cujus cauſa cùm non tam manifeſta ſit, quàm aliorum plurium venenorum morſu vel ictu, vel hauſtu ſuas vires veneficas exerentium, ſed potiùs

ùs occulta ac fermè insensilis, ideò difficulter agnoscitur, quomodò partibus internis virus suum communicet. Nam contingit, quòd putridus & venenatus aër undique circumfusus ab arteriis etiam minutissimis per universum corpus dispersis imò sub cute latentibus per meatus earundem ad cor atttrahatur, & ab eo venenato aëre ad cor attracto ipsum viscus nobile spiritúsq; in eo geniti inficiantur. Cor quidem & arteriæ non attrahunt venenum illud delectu quodam, aut vi quadam sibi insitâ, sed fit, quòd aërem continuò inspirent, qui tanquam cordis refrigerium summè necessarius est, quo mediante, naturâ licet repugnante venenum simul ad se trahunt. Sic eos videmus veneno infici, qui sub taxo vel nerio decumbunt, aut humi super plantas jacent noxias, aut propè specus serpentum virulentorum, aut putrentes cloacas morantur: siquidem inficiuntur tales ob venenatum aërem per ea loca circumfusum, & inspiratione ad partes intimas attractum: hinc primo invasionis principio cujuslibet veneni virus haud facilè dignoscimus, maximè cùm eorundem venenata

atque

atque exitiosa qualitas partibus interiùs negotium facescere incipit: cujus molestiæ conjecturam portendunt symptomata quæ suboriuntur.

Signa autem assumpti veneni sunt sequentia: virium imbecillitas & totius corporis prostratio, frequens syncope, facies livida, vertigo, oculi torvi ac concavi, lingua arida, labia nigricantia, partes extremæ corporis, ungues præsertim livent, sudor frigidus circà frontem & tempora erumpens, sopor, acris ventriculi morsus, corpus maculosum & varium, præ marcore fœdum, tetrumque expirans odorem: præcipuè verò si hæc accidant omnia corpori benè sano, inculpatæ vitæ legibus utenti, post cibum mox assumptum; nam fieri potest, ut à prava victus ratione aut alias ob causas pessimi in nobis generentur humores venenatam tandem qualitatem acquirentes, & eadem fermè symptomata invehentes: qualia incommoda à putrido semine nasci consueverunt, ut & retentis mensibus, putrente sanguinis grumo, bile porraceâ aut æruginosâ in putrilaginem abeunte: proinde necesse est, ut Medicus sit cautus

tus ac providus, & ſingula diligenter examinet.

Signa veneni admoti facilius eſt dignoſcere, potiſſimùm quæ à morſu, ictu, punctura, vulnere, ſputo venenato dependent: Nam mox ſuboritur tumor, dolor vehemens, delirium, potiſſimùm in punctura nervi, & niſi maturè ſuccurratur, vulnus ejuſque labia nigreſcent, membri motus ſenſuſque peribit, & atrophia tandem, corruptio ac necroſis ſuccedet.

Signa veneni à proprietate occulta & forma ſpecifica agentis eadem fermè ſunt quæ aſſumpti veneni.

Signa veneni ſuas vires veneficas à qualitate manifeſta obtinentis ſunt ſequentia: à veneno calido oritur ſubitanea partium internarum inflammatio, ſitis ingens ac inexplebilis, oculi inflammantur, rubeſcunt atque exerti redduntur, anxietas gignitur incredibilis, maxima & aſſidua inducitur inquietudo, ſudor denique continuus prorumpit. *Si acre ſit* venenum, fiunt eroſiones, exulcerationes, punctiones, vellicationes, putrefactiones, intolerabiles ventriculi & inteſtinorum cruciatus ac borboryſmi infi-

niti in iis ſuſcitantur. Tandem niſi eliminetur, ſudores, vomitum, dyſenteriã, & pravos totius corporis colores invehit.

Quæ à veneno frigido proficiſcuntur, ſunt hebetudo ſensûs, ſopor, gravitas membrorum, rigor, motus difficilis ac inconſtans redditur in toto corpore, ore, manibus, uti in temulentis: totum corpus refrigeratur, naſcuntur ſudores frigidi, lividus fit faciei color ac terrificans, pleraque alia exinde proveniunt ſymptomata.

Venenum ſiccum cauſat ariditatem linguæ, quâ fauces premuntur ſiti inextinguibili, alvum prætereà reddit adſtrictam, cui continuæ vigiliæ, dyſuria, nec non totius corporis exſiccatio ſuccedunt.

Quæ Veneno humido superveniunt ſymptomata, ſunt ſomnus profundus & inexpugnabilis, diarrhoea, articulorum ac nervorum lunationes, totius poſtremò corporis vel partis ſaltẽ gangræna.

Signa veneni intus geniti aut aliunde aſſumpti ex cauſarum inveſtigatione dignoſces.

Signa veneni contagioſi ab aëre putrente

trente illati ex putredinis & contagionis causis sumito.

Signa fascinatorum sunt oculi tristes & demissi cum lacrymis, vel nimium sicci, malus color, suspiria, cor triste, vigiliæ, mala insomnia, totius corporis macies. Vera fascinationis indicia sunt, si hyacinthus rubeus uti & corallium rubrum fascinato appensum aut alligatum pallescat, suumque nitorem perdat: Vel si annulus ex ungula asini factus digito immissus post aliquot dies latior fiat, certum est fascinationis indicium.

Præstigiati loquuntur vana, vaniora imaginantur, mente capti sunt, oculos habent lucidos, vigiles & cogitabundi fiunt, colorem naturalem amittunt, marcescunt ac indies gracilescunt.

Devoti per imprecationes magnis exagitantur curis, sunt timidi, iracundi, superstitiosi, creduli, sibi ipsis parum fidentes, consilia bona renuentes, omnia tuta timentes, vitæ suæ pertæsi, odiosi etiam suis, larvis ac nocturnis spectris facilè decipiuntur.

Signa lethalis aut mitioris veneni: temporanei aut præsentanei ex symptomatum conditione ac moribus petenda sunt

Venena ſeu venenata agentia occultâ proprietate venenorum omnium ſunt funeſtiſſima : quæ agunt qualitatibus manifeſtis , imbecillima ac mitiſſima, præcipuè quæ ſunt humida: quo nomine quidam nullum venenum humidũ dari exiſtimant, eò inducti, quòd nullum humidum ad quartum humiditatis exceſsũ pervenire poſſit. Aſt venena vim ſuam veneficam multò promptiùs ac citiùs exerunt in corpora ſanguinea, bilioſa, latas venas habentia, in partes molles, ſpongioſas, in corpora juvenilia, quàm in corpora his diſſimilia : ſyncope frequens ac vehemens, ſudor frigidus, pulſus parvus, debilis, inordinatus, creber, anhelitus difficilis, omnia lethalia.

Lethale quoq; ſi vomitus cohibeatur, ſi alvus ſiſtatur, ſi opotum venenum non eliminetur, ſed ad venas rapiatur: ſi delirium aut convulſio, aut veternus ſuperveniat : ſi morſus aut punctus nervus ſit, aut arteria icta, ſi caput muſculi aut aliquis articulus vulneratus ſit.

Plura ſigna venenorum ex cujuſque veneni deſcriptione ſpeciali facilè innoteſcent.



CAPUT IV.

Præservatio hoc est modus se præservandi, Ars & Praxis venena præcavendi, Magnatibus imprimis observanda.

ARduum ſane ac difficile eſt ſe præſervare à venenis, eò quòd illi, qui aliis inſidias ſtruunt venenis, tanto aſtu id inſtituant, tantâque arte maleficâ id machinentur, ut peritiſſimum quemque & artis ſummè callentem decipiant. Si quis ergò à venenis ſibi præcavere volet, & in ſuſpicione fuerit ſibi veneno inſidias ſtrui (quemadmodum Principibus & Magnatibus non rarò contigit) is cibaria operosâ arte elaborata vitare debet, omnem quoque ſaporem palato nimis gratum, & intenſam guſtui qualitatem excitantem, nempe dulcorem, ariditatem, vehementem unctuoſitatem, ſalcedinem acrimoniâ temperatam veneni adinſtar fugiat, neceſſe eſt. Maligni enim homines hiſce ſaporibus venena fucare ſolent, ne dolus deprehenda-

hendatur. Præterea vitentur cibi coloris candidi & oleracei, vel ex animalium sanguine parati : siquidem albedine venena quædam metallica facilè occultantur, quale est sublimatum : ob id à sale candido atque albicante, sive naturâ, sive arte tale fuerit in cibis condiendis, prorsus abstinendum, sed potiùs sale cineritio utendum. Sanguini etiam animalium, quibus vescimur commodissimè venenatorum sanguis inseritur: curet ut coqui & reliqui culinæ inservientes non modo fideles sint & incorrupti, sed etiam mundi, cauti ac providi, ne ullus veneficorum insidiis relinquatur locus: tum etiam ut sciant rectè & diligenter custodire cibaria, vel aliud unumquodque, quod in ciborum usum reponitur : Caveant quoque ne in vasa culinaria, quæ super vel circa focum eduliis referta sunt, venenatum aliquod animal per caminum, vel camino adhærens, decidat, uti est araneus, &c. videant ne decoquantur carnes lignis (quibus nonnullæ Regiones abundant) venenatis ut oleandro , taxo &c. Quidam ex ligno oleandri fecerunt veru & carnes eo assarunt , quicunque eas comederunt, mortui

mortui fuerunt: Veru ferreum cùm facilè veneno aliquo infici possit, ut hoc impediatur, omni modo studeant: sedulam quoque dent operam, ut vinum & aqua, aliaque cibaria aut cibariorum condimenta reponantur in vasis obturatis ac clausis, ut neque aranei, neque in quibusdam Regionibus scorpiones, stelliones, nec aliquod virulentum reptile vel insectum ingredi queant. Hodierno die mos est frequentissimus, ut ministri Principum edulia, quæ apponuntur edenda, priùs degustent: consuetudo hæc licet laudanda sit, ei tamen non omninò fidendum: quod luculenter ostendimus in pincernis, pocillatoribus aliisque. Nam pincerna, si vitæ ac saluti Domini sui malis artibus insidiari velit, poterit seipsum valentissimo quodam antidoto præservare adversùs venenum: pocillator, qui in servatæ fidei signum Domino suo præbibit, iisdem adversùs venenum se tueri poterit præsidiis: Accedit quod uterque tam parcâ manu utrumque degustet, ut licet subsit venenum, nullam tamen inde molestiam ac noxam percipere possit: scias etiam venena omnia (quæ ut interimant cibariis admista) eâ

arte ab aſtutis veneficis parata eſſe, ut non niſi temporis intervallo vires ſuas exerant: hinc tali conſuetudini non adeò fidendum, ſed curandum potiùs, ut Principes habeant miniſtros (quorum manibus edulia adminiſtrãtur) nõ ignobiles, non obſcuro genere natos, fideles, nõ avaros, neq; invidos, & qui diu anteà vitâ ac morib. ſint probati: In quos etiam multa magnáque beneficia contulerint. Quin etiam bonæ conſcientiæ Medicos ſibi adjungant peritiſſimos. Vaſa ex quibus comedunt ac bibunt, vitrea ſint ac fictilia vitro circumlita: quandoquidem in ejuſmodi vaſculis tam facilè venefici venena abdere nequeunt, quàm ex auro & argento conflatis: ſi tamen vaſa aurea & argentea deſiderent, munda & nitida ſervanda, fideliumque hominum manibus committenda ſunt: Attendant etiam ne ſtramenta lectorum parentur ex herbis venenoſis, aut nè hypocauſta vel ſtuphæ lignis veneniferis calefiant, qualia ſunt oleandrum, taxus, napellus & alia plura. Candelæ accenſæ ſtent remotæ ab eorum facie, quia ſævo & ceræ, ex quibus parantur candelæ, facili negotio venenum commiſceri poteſt. Cubicularios

rios habeant fidelissimos, cum cubilia quodam veneni genere, uti & interulæ, cæteráq; vestimenta infici possint: Hanc igitur ob causam cubicularii priusquam vestes Dominis suis induendas offerant, eas manibus diu pertractent & suffumigent. Antequam Principes equis insideant, jubeant ut mangones & equorum curam gerentes, equis sæpè insultent super iis ephipiis, quibus ipsi in equitando uti consueverunt. Etenim nonnulli reperiuntur versipelles, apud Turcas potissimùm, qui sellas equorum sellarúmque pedifera illinant venenis tanta permeandi & penetrandi vi præditis, ut insessorum penetrent ocreas, & ad nudas pedis plantas perveniant, ac inde per cutis spiracula, arteriásque cuti subjacentes corpus ingressa, cuncta corporis membra corrumpant & absumant. Proinde stabuli præfectis mandare debent, ut tam cautè sellas & habenas recondãt, ne in odiosorum manus veniant. Cæteroquin Medicum habeant fidelissimum, amicissimum, virum bonum, Dei cultorẽ, qui ea calleat, quæ suâ peculiari naturæ dote præsens venenum signis quibusdam certissimis detegunt; in quorum

numero hæc recenſentur à quibuſdam viris fide dignis. Lapis praſſius, præſente quocunque veneno, ſtatim perdit ſplendorem: Ophites præſente napello, aut vipera, aut felle pardi, exſudat: hoc tamen non fit præſentibus cæteris venenis. Bufonites aureo annulo inſerta & in digito geſtata ut carnem attingat, hæc cum venenum adeſſe ſentiat, tantâ caliditate digitum afficit, ut carbonem accenſum ipſum urentem præ ſe ferat. Albertus Magnus memorat adamantem Orientalem geſtatum brachio ſiniſtro inter humerum & cubitum annexum omnium venenorum vim eludere: eandē quoque vim tribuit achati, hyacintho, & ſapphyro Orientali: Alii eandem facultatem aſſignant ſmaragdo: Alii draconitidi, & lapidi, quem ajunt reperiri in capite draconum: lapis ætites ſi imponatur cibo, in quo venenum latet, eundem prohibet deglutiri: ſi lapis extrahatur, cibus mox deglutitur, ſi credendum ſit Alberto & Varignanæ: ſi quis vaſe potorio (inquiunt Plinius & Vitalis) ex electro facto utatur, veneni inſidias vitabit: diſcurrunt enim in eo arcus cœleſtibus ſimiles cum ſtridore igneo: vaſa figu-

figulina ex porcellana confecta eandem vim veneni experiundi habere dicuntur: aurichalcum cum venenum erodens sentit, tum etiam aliorum plura genera colorem mutat in nigredinem & rubiginem contrahit: quare præstat vasa ex illo sed splendente habere. Cardanus inquit (ne pauperibus suum præsidium denegetur) mirum in modum ab omnibus metallicis venenis mutari, imò & ab aliis potentibus, præsertim si calidum sit: eligendum autem valde splendidum & purum: Et nisi ab acribus aut aridis succis vitiaretur, rem absolutam undequaque haberemus. Scripsit præterea Albertus Magnus imaginem serpentarii cum suis stellis cuivis lapidi pretioso insculptam utilissimè gestari adversùs omnia venena, eaque præsertim, quæ venenosorum animalium ictu vel morsu relinquuntur. Petrus Aponensis affirmat, quod si in hæmatite lapide sculpatur homo genibus flexis serpente cinctus, cujus caput dextra teneat, caudam verò sinistra, & lapis ille annulo ex purissimo auro confecto inseratur, & ab homine portetur, eum à quocunque veneno tueri. Remediũ non inconveniens fore

fore arbitramur (si quis ab assumptis venenis sibi metuat) ut quam diligentissimè provideat, ne fame vehementi sitivè pressus cibum arte culinaria elaboratum sumat; nam ita timendum est, ne veneni vis celeriùs rapiatur in viscera, & qui cum maximo appetitu cibos devorat, veneni vim facilè concipere valet: nullo quoque peculiari consueto fruatur cibo: nec solus comedat: nullum certum locum in mensa servet, sed eum frequẽter mutet: abstineat à ferculis nimiùm mistis, tortis, infartis carnibus, farciminibus, intinctibus: antequam cibum ore sumat, exploret odorem; nam si fœteat, veneni suspicio est, quia fœtor putredinis venenatæ comes est: si sordidum aut putridum quid contineat, vel diu linguâ ac dentibus tractatũ hæreat, vel gutturi in deglutiendo impedimento sit, ut per gulam demitti non possit, vel sub dentibus strideat, hunc rejiciat: eâdem cautione vel potiùs majore in potu utendum, qui non statim hauriendus, sed priùs pitissandus ac degustandus: breviter cibus potúsque sumatur summa cũ cautione & parca manu: etenim non nisi gulosi (ut quidam ajunt) veneno infici pos-

ci poſſunt, ſolóſque confidentes latet venenum. Præterea vitandi ſunt fungi, & quicunque cibi venenis ſimiles, ut anguillæ, ranæ & cæt. non ſolùm quòd hæc venenoſa eſſe poſſint, ſed quod Venefici ſub ea occaſione venenum exhibeant: vitandum apium, quòd ſimile ſit apio riſus, petroſelinum parvum, cicutæ ſimile: ſi quid detur ex cuſpide cultelli, aut non edendum, aut ſolummodò ex altera parte guſtandum: pocula ex quibus bibitur, ſint ex cornu monocerotis vel cornu cervi, quibus utebantur Reges apud Philoſtratum in vita Apollonii: vel parentur pocula bibitoria ex ligno cupreſſi, pini, Juniperi, mali punici, fraxini: talia namque venenis præſertim in ſumente longiùs ſerpentibus contrariantur, quarũ arborum umbram taliter fugiunt, qualiter delectantur jacere ſub umbra ſalviæ, hederæ, fœniculi: quapropter ab earundem herbarum potiſſimùm ſalviæ uſu abſtinendum. Modus autem venena præcavendi tutiſſimus eſt, ut in horum ſuſpicione ſemper aliquid præmandatur, quòd venenorum vires retundere poſſit: cujuſmodi ſunt caricæ pingues cum nucibus

bus juglandibus, foliis rutæ & ſale, quorum compoſitio talis eſto. ℞. fol. rut. p. xx. nuc. jugland. p. ij. ſal. comm. p. v. Caric. ping. p. v. miſce omn. ſimul. doſis eſt, quantum cultri culpis capere poteſt. Hoc remedium celebre ſi ante cibos ſumatur, vires aſſumpti veneni reprimit, illudque per vomitum expellit. Pari ferè facultate pollent poma citria, quorum uſus frequens eſſe debet, nam eorum ſemina, ſuccus, cortices & odor, cuncta hæc venenis reſiſtunt. Valet quoque ſemen napi ad ʒi. cum vino potum: fol. calaminth. uti & lactucæ eſus confert: item butyrum recens cum pane ſumptum. Præ cæteris ſummum præbet remedium terra terra lemnia ad ʒj. vel ejus loco mithridatium vel theriaca aſſumpta. Commendant nonnulli caſtaneas, meſpilas, piſtacias, allium, raphanum, nuces ponticas, radices ari, C. C. folia cupreſſi, pini, bacc. Juniperi. Præterea ad ſidera tollunt medicamentum ex ſemine ſancto, aſa fœtida, conſerva flor. tunic. & aqua ſtillatitia. cinnamomi compoſitum. Denique ſciendum, quomodo ædes ab animalibus venenatis liberandæ, & quali mo-

li modo liberæ servandæ sint. Ut autem liberentur ædes à similibus, domi educanda sunt animalia, quæ illa comedunt, uti sunt ciconiæ, pavones, eluri &c. deinde fuganda sunt odore ingenti juniperi, cornucervi, semine nasturcii, fol. peucedani, polii, styrace, asa fœtida, gummi serapino, pice, asphalto, trifolio, ruta, lapide gagatis, castoreo, ungula cervi, succino &c.



CAPUT V.

Curatio Venenorum universalis.

ANtequam specialem venenorum curationem aggrediamur, ut eorundem Universalis præmittatur, necesse est. Venenum igitur per eam viam revocandum, per quam corpus nostrum ingressum est: exempli gratiâ, si ore assumptum fuerit, provocandus vomitus: si clystere injectum sit, clystere quoque educendum: si ictu vel morsu, vel vulnere virus corpori communicetur, illud exugendum. Quod si ergo cujuscunque generis venenum per os assumptum fuerit, illud quàm citissimè fieri pote-

poterit, vomitu exturbandum eſt: modò illud adhuc in ventriculo hæreat: ſi è ventriculo egreſſum, ac inteſtina ingreſſum fuerit, illud quamprimùm injectis enematibus extrahendum: quin etiam ſi citato, quantumvis vehementi, vomitu nihil veneni evocetur, vel etiam ſumpto vomitorio vomitus non ſequatur, illud violentis catharticis ac clyſteribus foras expurgandum: proritetur vomitus multo hydromelitis aut hydrælei potu, vel multo butyro pingui devorato & calidæ aquæ admixto, vel decocto malvæ aut ſeminis lini, urticæ, fœnugræci, aut decocto raphani & ſem. atriplicis cum ſyr. acetos & hydræleo ſumpto: aut decocto elleb. alb. flor. geniſt. ſummit. aneth. ſi hæc non præſtent effectum, ad fortiora vomitoria veniendum, utpote tartarum Emeticum, ſyr. Emetic. aquam benedict. Rulandi, crocum metallorum &c. nam omni arte ſtudendum, ut vomitus ſuccedat: hic enim, ſi quod aliud remedium, utiliſſimus eſt, non ſolùm quod venenũ expellat ac vacuet, ſed quod aſſumptum interim venenũ odore, ſapore, calore, grumis ejectis arguat & repreſẽtet; ſiquidẽ odore

odore & sapore cicutam, colore cerussã & gypsum, grumis concretis lac vel sanguinem, materiæ qualitate & acrimoniâ sandaracham Græcorum, leporem marinum, aut rubetam, aut hyrudinem prodit: ita ut per hæc ad accommodata & propria singulis remedia aditus pateat: in vomendo verò tamdiu perseverandum, usque dùm nec sapor, nec odor, nec morsus, nec nausea, nec anxietas sentiatur ampliùs, quæ sunt veneni reliquiarum indicia. Quod si in ventriculo ac intestinis quoddam percipiatur incendium, indatur suppositorium acutum, injiciatur clyster acer, ut è ventriculo ac intestinis foras venenum expellatur. Propinetur deinde catharticum, quo alvus satis potenter expurgetur, ad quod opus non postremas partes obtinent rhabarbarum, agaricus, cassia solutiva, aloë &c. hæc enim præterquam quod alvum solvant, suâ quoque acrimoniâ ventriculum abluunt & abstergunt, nec non facultate sibi insitâ venenis adversantur. Proinde dentur enemata ex decocto cent. min. herb. emoll. agarico adjectâ colocynthide: in quo decocto dissolvatur hyera Gal. aut dia-

diacolocynthidos : præparetur purgatio ex infuſo rhab. aut pillulis aloëticis aut etiam diluto elleb. ſi neceſſitas urgeat : aut ex caſſia fiſtula ſi modò in inteſtinis ſentiatur eroſio & acrimonia Hæc enim emolliendo erodentium medicamentorum acrimoniam obtundit : quando tùm vomitu, tùm alvi dejectione corpus abundè vacuatum deprehenderimus, tunc lacte aſinino vel caprino hauriendo, vel juſculis pinguibus ex adipe, butyro aut lacte viſcera ac inteſtina veneni acrimoniâ læſa mulcebimus, non aliter quàm in dyſenteria fieri oportet, idque auxilii vel potu, vel clyſtere tentabimus imò & narcotica his admiſcebimus, ſi iſtis levioribus anodynis nihil profici experiamur : interim omni arte defendemus partes nobiles à maligno veneni vapore, admovendo nimirũ regioni cordis cataplaſma cardiacum ex conſerva flor. borrag. bugl. mithridat. theriaca & confectione alkerm. paratũ, vel loco confection. grana kermes uſurpari poterunt : aut applicando epithema ejuſdem facultatis : ſimilibus quoq; hepati ac cerebro providebimus. Quin etiam deorſum revellemus vimque vene-

natam

natam revocabimus, ne in cor & partes nobiles evehatur, cucurbitulis cruribus affixis, frictionibus asperis ac vinculis dolorificis earundem partium, itemque brachiorum, digitorum, pedum atque inguinum. Utemur quoque balneo aquæ calentis ex accõmodatis herbis confecto vel laconico sudorem provocante: quandoquidem hujuscemodi calor extraneus venenum efficacissimè ad cutim trahit: vicem verò balnei aut laconici supplebit, si dissecto muli aut equi vivi corpore exemptis subitò intestinis æger in animalis cadaver intromittatur. Nec usque adeò his fidendum remediis, quin ab antidotis tùm simplicibus tùm compositis salutarè præsidium quæratur: qualia sunt terra lemnia, mithridatium, theriaca, scordium theriaca cœlestis, rad. Imperator. angelic. zedoar. bol. armen. sem. napi. pastinac. sem. rut. radix valerianæ, mala citria, limonia, aurantia, rad. dictamni, tormentill. aristol. gentian. nuces ponticæ & alia penè enumera: quæ sanè multò majori copia exhibenda sunt veneno correptis, quàm venenum metuentibus Quod si ergò venenum fuerit calidum, quod assum-

ptum est, illud iisdem fermè remediis expugnandum, quibus contrà venenum à tota substantia utendum mox diximus, nisi quod hìc clysteres non acres sed leves injiciendi sint. Cibaria conveniunt omnia frigida tam actu quàm potestate, uti & granatorum succus, emulsio sem. melon. aqua lactis, ptisana hordeacea, &c. admovenda quoque frigida tam actu, tum potentiâ: versandum in aëre frigido: quieti & somno indulgendum: sumendum potiùs mithridatium quàm theriaca: & quia alvi profluvium ad hoc veneni genus subsequi solet, id omni adstringentium genere sistendum. *Si* venenum fuerit frigidum, id vomitorio statim expellendum, dein clysteres acres injiciendi calidi & attrahentes: somnus arcendus est, sternutamenta ciendа, deambulandum, corpus exercendum, corpus linteis asperis fricandum, sudandum ante cibum & in aëre lucido calido commorandum. Præterea sumantur confectiones calidæ, ut anacardina, diatrionpipereon, diamargariton, confectio alkermes: potus sit vinum generosum: cibus allia, cepæ, sinapi.

Quod

Quod si venenati animalis morsu aut puncturâ vel sagittâ venenatâ, vel globo sclopetario veneno illito alicui vulnus inflictum fuerit, illud exugendum è vulnere à tali, qui nec ulcus in ore vel gingivis, vel palato, nec dentes corrosos habeat, coliuto prius ore cum oleo violaceo aut rosaceo primùm, deinde cum vino odorato. Si nullus adsit, qui sugat, vulneri admoveatur cucurbitula ampla cum multo igne & scarificatu: Vulneri quoque imponantur pulli gallinacei per medium secti, vel frustum carnis hædinæ aut ovinæ recentis, ut calor ille naturalis non modò venenum attrahat, sed etiam vim illius obtundat. Similiter apponatur caro ejusdem animalis venenati, à quo ictus inflictus est, ut viperina caro morsui viperæ, jecur canis rabidi morsui à cane rabido illato: præter hæc admoveãtur emplastra attrahentia vulneri ex stercore columbino, radice arundinis, bulbi, aristol. dictamni, sinapi, ficubus, cepis, crudis simul malaxatis & incorporatis: vinculis quoque arctissimis pars vulnerata deliganda, si fieri possit, ne virus veneni intrò permeet: fiant etiam profundæ sectiones, si natura

partis permittat , & malignitas veneni intrò ſerpentis poſtulet: vulnus interim ejuſque ambitus illinatur theriacâ, aut mithridatio, aut alio quodam alexipharmaco, ne venenum ſerpat in partes ſanas, ejuſq; malignitas reprimatur. Deinde per os capiatur quoddam alexipharmacum ad partium internarum tutelam ac robur. Poſtremò pars vulnerata imò & totum corpus in mulum exenteratũ, vel mulam dum adhuc fervet, intromittatur, ita tamen ut caput promineat, & tamdiu in eo quieſcat, donec veneni vis retuſa fuerit : cùm cadaver refrixerit, alium mulum vel mulam exenterare & corpus veneno infectum intromittere oportet : Enimverò mulus & mula ob caloris abundantiam cæteris præpollent animalibus ad malitiam veneni refrænandam. Quod ſi ulcus hiſce remediis non ſaneſcat, ſed liveſcat, vel ad necroſim tendere videatur, pars læſa cauterizanda eſt ad os uſq;, ut inde dura eſchara inducatur, quæ ſit impedimento, ne venenum in partes ſanas ſerpat: Verùm id fruſtra tentabitur, ſi venenum jam intrò ſerpſerit, quod ex colore livido, ſenſûs ac motûs privatione colligendum.

Qua-

Quare nec cauteria, nec scarificatus profundi quidpiam emolumenti præstare valent, sed potiùs amputanda pars, si ea sufferre possit, sin minùs, ulcus manet incurabile solis indigens blanditiis, ut quilibet cancer, nimirum unguentis frigidis vehementer adstringentibus, quibus veneni malignitas retundatur, eique progressus ulterior prohibeatur, Quæ singula ex propria ac peculiari cujusvis veneni curatione clariùs elucebunt.

Victûs rationem quod attinet, talis esto: veneno correpti bibant frequenter lac asininum aut caprinum aut ovillum recenter mulctum, edant sæpè butyrũ, capiant juscula carnium pinguium: nam pinguia ideo hìc convenire videntur, quod vias obstruant, ac proinde veneno aditum ad cor prohibeant: commorentur in aëre lucido, parum aut nihil dormiant, vigilent verò quantũ poterunt: somnus enim cogit intrò venenum, vigiliæ verò illud foras à centro ad superficiem evocant: suffiantur suffitibus odoratis ex myrrha, ligno aloes, ladano, styrace, cortice mali citrei, baccis juniperi, scordio &c. pro potu hauriant lac

acetosum, vel oxicratum: utantur jusculis in quibus serpillum, pimpinella, buglossum, borrago incoquantur.

Capitibus præcedentibus tractavimus venenum terminis amplis ac latè patentibus, divisimusque in genera & species subalternas, ab individuis & singularibus remotiores. Docuimus etiam remedia potissimũ generalia. Proximè sequentibus capitibus quatuor descendimus ad species inferiores, imò specialissimas, quarum totidem instruimus classes. In prima explicamus enumeramusq; venena & symptomata intro sumptarum ab homine rerum vegetabilium: In secunda animantium: In tertia mineralium: In quarta exponimus venena, quæ aforis atque extrinsecus noxias suas vires in corpus humanum exerunt. Et classis hæc postrema tria capita continet, quorum primum agit de morsu ictuque venenatorum animalium in communi. Secundum de morsu canis rabidi &c. tertium de morsu atque ictu aliorum animalium in specie: singulis autem speciebus singularum classium ac capitum specialia ac propria subjunguntur antidota. Hisce

subji-

subjicimus remedia vulneris illati instrumento intoxicato. Deinde quædam additamenta. Denique remedia contra philtra & maleficia.



CAPUT VI.

ET

CLASSIS PRIMA

Venena intrà sumptarum Rerum vegetabilium in specie cum antidotis

ANACARDIUM.

IN serie venenatarum rerum vegetabilium primo loco ponimus anacardium, quod est fructus arboris exoticæ colore ac figura cor repræsentans, præcipuè si hic fructus exsiccatus sit: crescit in India Orientali.

Symptomata hujus fructus: Assumptis anacardiis suscitatur incendium in faucibus, gutture, ventriculo, totoque corpore, adeò ut febris inde suboriatur, quam subsequitur delirium.

Curatio: Si quis anacardium intra corpus sumpserit, detur ei vomitorium & clysteres injiciantut frequenter. Hisce

præmissis dentur olea glacie refrigerata v.g. ol.amygdal.dulc.ol.papav.nucleor. pineor. æstatis tempore stent ista olea aliquamdiu in loco frigido. Convenit etiam butyrum recens cum lacte bubulo in sat magna quantitate sumptum: prosunt & juscula pinguia, adeps suillus & anserinus liquefactus. Item cerebrum quadrupedum & volatilium, uti ossium medulla: omnia denique refrigerantia hìc locum habere possunt.

Ephemeron lethale sive colchicum.

SEcundo loco occurrit nobis ephemeron vulgo bulbus agrestis: crescit in pratis, & florem producit ante folia, venenosa planta est, idcirco cavendum, ne intra corpus assumatur.

Symptomata: Si quis ephemerum intra corpus sumpserit, is patietur totius corporis pruritum, non secus ac si urticâ cæsus fuisset: internè rosionem sentiet, incenditur ventriculus, & alvus fit cruenta.

Curatio: Hoc in casu vomitiones ciendæ sunt, alvus clysteribus solvenda est: deinde propria antidota exhibenda sunt, qualia pro his habentur lac huma-

manum, asininum, ac bubulū, dictamni ℥ij. sumptæ, succus rubi & vitis recentium viticularum: conveniunt etiam baccæ myrthi contusæ in aqua maceratæ & in liquorem solutæ.

Staphisagria.

TErtio loco venit Staphisagria seu herba pedicularis, quæ crescit in Apulia, Calabria, Dalmatia & in nōnullis Germaniæ partibus.

Symptomata. Hæc herba si assumatur, adurit fauces & palatum, vomitus excitat, ventriculum ac intestina erodit, & nisi succurratur, strangulat.

Curatio. Propinetur illicò oleum amygdalar. dulc. cum magna hydromelitis quantitate, quo propinato cita ac velox imperetur deambulatio, eaque continuetur; per quam facillimè suscitatur vomitus: injiciantur clysteres, hujus herbæ acrimoniam demulcentes, & ea ordinentur, quæ epotis cantharidibus medentur.

Uva vulpina seu Solanum Maniacum.

QUarto loco præsentatur Uva vulpina seu Solanum Maniacum: hæc herba vulgò cognita est, & ubique locorum reperitur.

Sym-

Symptomata. Quòd Solanum horrenda causet, nemini dubium esse debet: enim verò qui foliorum vel radicis ℥j. cum vino sumpserit, intra breve tempus delirabit cum risu, eique variæ observabuntur species: die tertio mentis alienationem infert, & quarto quintove die interitum adfert: cùm hauriatur, sentitur velut lactis sapor in ore bibentis, exinde induratur lingua, color facie obfuscatur, excitatur vomitus, cui supervenit singultus, profluvium ventris dysentericum cum muco intestinorum, lethargus, quem tandem mors subsequitur. Quòd Solani variæ species horrendas strages ediderint, illarumque grana inconsultiùs comedentes in lethargum & horrida symptomata inciderint, fusè narrant Mizaldus, Fuchsius, Matthiolus.

Curatio. Huic veneno obsistimus aquâ mulsâ copiosiùs potâ, clysteribus acribus, ut quà per vomitum, qua per alvum deturbetur. Sumptâ autem aquâ mulsâ vel lacte asinino vel caprino plurimo corpus violenter movendum, quoniam malignitas ejus per talem motum retunditur, erosio prohibetur, & reli-

reliquiæ ejus per vomitum & secessum evacuantur. Idipsum multò promptiús præstabit lac acetosum. Venenum hoc si rejectum, aut malignitas ejus retusa fuerit, theriaca Androm. & electuaria calida cum vino exhibenda sunt, ut relictæ ejus particulæ alterentur. Huc quoque referantur remedia, quibus opii malignitas corrigitur & expellitur.

Solanum somniferum.

QUinto loco obvium nobis venit solanum somniferum, quod in locis petrosis juxta aquas crescit, cujus pars radicis interior rubicunda est.

Symptomata. Si hujus radicis derasæ aut baccarum ℨj. in vini ℥jß. maceretur duabus horis & dein percolato digitisq; presso vini recentis tantundem addatur, ac in poculo ad potandum propinetur, accidit paulò post, ut qui biberint, nil prorsus edere possint:

Curatio. Antidotum hujus præsentaneum est bibere acetum. Huc revocanda remedia, quæ valent adversus Solanum maniacum.

Aconitum Licoctonum sive Aconitum Pardalianches.

SExto loco recensemus aconitum Lycoctonum, faba, quod luparia nuncupatur, quia lupi illud vorantes statim intereunt: huic accedit aconitum pardalianches, quod à priori licet totum diversum sit, eandem tamen cum eo malignitatem participat : utrumque amat opaca sylvarum loca.

Symptomata, quæ ab utroque in quantitate excessiva sumpto oriri solent, sunt adstrictiones maxillarum , morsus & erosiones ventriculi, oculorum caligo & eorundem velut suberventus color, tremores & totius corporis inflatio fermè hydropica.

Curatio: Ciendæ sunt vomitiones & alvus subducenda : hisce peractis exhibeatur theriaca ad ℥ij. cum vino, in quo radix gentianæ decocta fuerit : aconiti utriusque antidotum infallibile est radix aristolocchiæ rotundæ, item rad. eryngii cum ranarum comestibilium vel anserũ jure pota : Confert quoque vinum, in quo aurum argentum ferrumve candens fuerit extinctum : Item coagulum lepo-

leporis, hædi, vel vituli cum vino sumptum.

Squilla sive Scilla.

SEptimo loco collocatur scilla, quæ in Apulia, Sicilia, Portugallia copiosè crescit. Ex scillis aliæ sunt, quæ non nisi in magna quantitate sumptæ corpori noxiæ sunt: aliæ verò in parva quantitate crescunt in locis fœdis ac graveolentibus, scilicet prope cloacas aut thermas.

Symptomata quæ secum portant, sunt ventriculi, intestinorum, & venarum mesaraicarum exulcerationes, à quibus punctiones, tormina & dysenteria tandem suboriuntur.

Curatio: Huic occurrimus potu lactis, in quo chalybs candens extinctus fuerit: prosunt etiam vitelli ovorum in aceto decocti: item juscula carnium pinguium, butyrum crudum ac recens copiosè sumptum, esus extremitatum quadrupedum animalium juvenum elixarum.

Flammula.

OCtavo loco se prodit flammula, sive scelerata, quæ ranunculi species: ubique locorum reperitur.

Sympto-

Symptomata: Hæc ingeſta fauces, guttur, ventriculum & inteſtina tantis afficit incendiis, ut ſitim inexplebilem excitet, linguam arefaciat, inteſtina deradat, urinam ardentem, imò mictionem perſæpè cruentam cum dolore ſanè intolerabili cauſet.

Curatio: Excitatis priùs vomitibus & clyſteribus infuſis confert lac bubulum unà cum ſuo cremore plenis poculis ſorbere, vel oleum amygdal. dulc. aut nucleor. pineor. aut papaver. aut ſem. lini expreſſum aſſumendum. Ad hoc non parum proſunt mucago ſem. lini, fœnugr. mal. alth. pſyllij, cydonior. & juſcula pinguia. Item baccæ halicacabi. Confert præterea fovere jecur ſucco lactuc. portul. intybi hortenſis & ſantalo rubro in aqua roſar. maceratis. Illinendi renes, pubes, teſtes & ipſa demum virilia ſucco roſar. plantag. hyaſcyam. clyſteres injiciendi ex lacte caprino aut bubulo vel ex decocto carnium pinguium parati, addito ol. roſ. & vino ex baccis myrthi confecto. Ea quoque adhiberi poſſunt, quæ contra aſſumptas cantharides valent.

Urtica.

NOno loco venenatis plantis annumera-

meramus urticam, cujus variæ reperiuntur species. Maximè autem hìc mentionem facimus de illa, cujus semine, veneris excitandæ causâ, quidam utuntur. Si igitur quandoque in usum medicum veniat, eâ cautione opus est, ut ei admisceantur talia, quæ acrimoniam ejus, & fervorem immodicum obtundant: cujusmodi sunt pistacia, nuclei pineorum, amygdalæ dulces, nuces ponticæ & præcipuè semen sesami: alioquin si largiùs ingeratur, præsertim solum, similia ex-citat symptomata, quæ scilla: præterea tussim infe

Curatio: Iisdem hîc remediis opus habemus, quibus medemur symptomatibus à scilla suscitatis, tussis verò, quæ supervenit, sedãda est hisce, quæ suapte natura pectoris asperitates leniunt: uti oleum amygd. dulc. syr. violar. liquinit. diatragacanth. frig. ptisana hordeacea saccharo conspersa. Præ cæteris verò convenit mucilago sem. cydonior. in aqua calida præparata.

Dracunculus.

DEcimo loco apponimus dracunculum, cujus duæ reperiuntur species, major scil. & minor sive palustris.

Symptomata: Hujus semen si potetur, aut in cibis assumatur, exasperatur guttur, lingua aduritur, punguntur gingivæ, dentes vexātur, totoque in corpore ingens incendium excitatur.

Curatio: Huic occurrere oportet butyro recenti hausto, pulte farinæ hordeaceæ, addito saccharo penidiato: uti & ol. amygdalar. dulc.

Coriandrum.

UNdecimo loco venenorum vegetabilium sobolem pronuntiamus coriandrum vulgo notissimum: quod quantitate potiùs quàm qualitate nocivum est. Et licet quantitate non adeò noceat, attamen nonnisi præparatum assumi volumus: Nam si præparatum assumatur, ventriculo roborando prodest, plurimùm compescit ructum acidum, cibis digerendis inservit, cor exhilarat, acuit ingeniū & spiritus vivificat.

Symptomata: Quodsi in nimia quantitate crudum assumatur, vel ejusdem herbæ succus liberaliùs hauriatur, vel cùm adhuc recens est, comedatur, mentem ita commovet & evertit, ut ebriorum mores ac motus incompositos, tandemque stuporem ac velut narcosin totius

tius corporis inferat, & eadem penè symptomata invehat, quæ opium.

Curatio: Huic medendum haustis pinguibus gallinarum & anserum jusculis copiosè salsis: passo cum lixirio sumpto: epotâ muriâ: maximè verò theriacâ Androm. cum vino sumptâ: item diamoscho & diambrâ cum vino haustis, quæ cerebri noxas singulariter corrigũt. Omnibus hisce prævalet radix vincetoxici ad ℥ij potui data tanquã proprium ejus antidotum.

Psyllium.

DUodecimo loco venenatarũ plantarum accedit psyllium, maximè ejus cortex: quod spontè crescit in Italia & nonnullis Germaniæ locis.

Symptomata: Ex assumptione seminis psyllii unà cum cortice in quantitate excessiva universo corpori suboritur frigus, torpor, respirandi difficultas, alvi tumor, & tanta denique cordis anxietas, ut oborto sudore ægri plerumque commoriantur.

Curatio: Vomitorium propinetur, illicò, alvus subducatur, postremò iis utendum est remediis, quibus utimur contra coriandrum haustum.

Cicuta.

DEcimo tertio loco in venenatorum vegetabilium foro vendimus cicutam, quæ in hortis nonnunquam pro cerefolio colligitur, cui non multùm absimilis est, & ubiq; locorum crescit. Hæc ob summam frigiditatem venenosa censetur, ut & semen ejus.

Symptomata: Si quis semen cum liquore aliquo potaverit, vel herbam in cibis sumpserit, huic suboriuntur vertigines, oculi caligine offunduntur, visus perit, mens perturbatur, somnusque inducitur perpetuus. Id ipsũ à veritate nõ alienum esse docent exempla, quorum hoc in loco mentionẽ faciamus, necesse est.

Marcoduri Anno 1692. contingit militi & uxori ejus, qui cùm cicutam (quã uxor pro cerefolio collegit, & exinde cibum præparavit) in cœna manducarent, post cœnam ambo euntes cubitũ, in talem prolapsi sunt somnum, ut non ampliùs excitati fuerint. Contigit idem Fuldæ duobus Religiosis, qui ab itinere quodam domum redeuntes dum mensæ vires lassas relaxaturi accumbũt, & cocus iis primò loco ferculum ex radicibus petrosilini carnibus incoctis ap-

posu-

posuisset (radices autem, quas Religiosi & ipse cocus petroselini putabant, cicutæ erant, quæ petroselino parvo ita similes sunt, ut non nisi odore discerni possint, quas ex inculto horto unà petroselino magnâ quantitate mixtas per summam ignorantiam raptim extraxerat, carnibúsque incoxerat) Patres appetitu stimulati, mox adoriuntur ferculum toxico plenum, mortis in olla hospitantis ignari; vix enim in stomachum descenderat cibus, mox virulentæ virtutis copias explicabat; siquidem caput utriusque tam horrendis fuliginum exhalationibus opplevit, ut uterque protinùs mente captus, insignis & exoticæ insaniæ signa dederit; Primus urgente peregrini veneni furore statim in vicinū lacum sese præcipitãs in anserem transmutatum asserebat; alter omnibus spoliatis disruptísque vestibus in publicum prorumpens nil nisi flumen ad intestini incendii vehementiam extinguendam appetens, in anatem se transformatum, sine aquis nõ vivere posse clamabat. cognitis tamen ex totius corporis livore veneni incendiis Medici, catharticis, cardiacis, & bezoarticis remediis tantùm
 effe-

effecerunt, ut veneni viribus ex parte suppressis mortem quidem effugerint, totâ tamen vitâ languidi & tremore paralitico ex veneni in intimas fibras implantatione perculsi vitam reliquā summis in doloribus exantlaverint, intrà triennium tandem extincti.

Anno 1690. in pago, unâ horâ à Civitate Tabernæmontana distante, rustica quædam pro oleribus præparandis omnis generis herbas collegit, quibus magna cicutæ copia permixta erat: his coctis sumptísque in prandio, ecce horâ unâ post mente capta, & in somnum profundum delapsa, altero die vitam cum morte commutavit.

Curatio. Hoc veneni genus quàm citissimè per alvum & vomitum deturbandum est: vomitu autem citato & alvo soluta vinum generosum, vel absynthiacum hauriendum, idque per intervalla repetendum: vel semen apii, aut radix iridis, aut folia lauri, aut origanū, aut seseli massiliense, aut piper, aut castoreum cum ruta & mentha, aut semen cardamomi cum vino generoso sumendum. Eximium cicutæ antidotum præstat theriaca, cujus ℥ij. cum deco-

cto dictamni capiendæ. Temporis interea corpus omni arte calefaciendum, tum deambulatione & quovis alio motu paulò vehementiore, tum frictionibus & foetibus præcordiis potissimum admotis.

Taxus Arbor.

DEcimo quarto loco asserimus veneno turgere Taxum: enim verò ab hac arbore toxicum, quo tela inuncta venenosa redduntur, nomen sumpsisse credimus. Hujusce arboris proventus in montibus & rupibus, maximè in quibusdam Galliæ partibus copiosus est.

Symptomata. Taxus non suis tantùm foliis, baccis, & succo hausto perniciem infert, sed & umbrâ suâ enecat eos, qui sub ea dormiunt: & quidem potissimùm eo tempore, quo florere incipit. Quin etiam frondium suarum umbra flumina, quibus arbor hæc vicina est, venenositate sua inficit.

Symptomata autem quæ accidunt iis, qui ejus baccas esitant, vel succum hauriunt; sunt miræ angustiæ, ventris inflatio, universi corporis inflammatio, alvi profluvium & febris.

Curatio: Noxis à taxo provenientibus occurritur decocto fœnugr. epoto, aut devoratis parmulis, aut semine viticis, aut frondibus, aut hausto eorum decocto: conferunt & caricæ cum melle vel saccharo sumptæ. Opitulantur prætereà pinguia & quæ crassum dant alimentum, plurimùm autem valet adversus taxi venenum diacastoreum, cujus ʒj. singulis vicibus assumenda est. Hæc tamen nonnisi præmissis vomitoriis & & clysteribus adhibere oportet.

Sardonia Herba seu Apium risus.

DEcimo quinto loco describimus malignitatem Sardoniæ herbæ seu apii risus, quæ & ranunculus aquaticus dicitur. Crescit in locis humidis juxta aquas: vocatur apium risus, quia folia ejus apio hortensi haud dissimilia sunt: nominatur autem sardonia herba, quoniam Sardia illam in copia producit.

Symptomata: Hæc herba vescentium contrahit nervos, rictu ora diducit, ut morientes velut ridenti facie intereant, à qua herba manavit adagium risus sardonius.

Curatio: Confert hisce, qui comederunt

runt sardoniam herbam plurima lactis potio: pulvis castorei cum vino potus: vinum dulce usq; ad ebrietatem potum, ut inde affecti dormiant: succus melissophylli cum aceto sumptus: item balnea & laconica ex decoctis flor. stoechad. hyssop. salv. rut. beton. chamæpyth. amarac. origan. calaminth. puleg. dictān. chamo. satureiæ, acori, nardi syriac. & celticæ, asari, valerian. cyperi, rosmar. &c. parata conveniunt. Nec abs re fuerit inungere occipitium, cervicem & universam dorsi spinam oleo lilior. de castoreo, lumbricor. oleo costino, hyperic. item unguento vulpino, Arragon. Agrip.

Hyoscyamus.

DEcimo sexto loco hyoscyamum venenatum esse notificamus: cujus tres habentur species scil. vulgaris seu niger, albus & flavus: nominatur quoq; faba suilla, & dens caballinus. Hæ tres hyosciami species quin venenatæ sint, minimè dubitandum.

Symptomata: Hyoscyamus comestus aut cum potu sumptus sensuum mentisque alienationem ebriis similem inducit, uti & corporis jactationem cum

distortione: hisce symptomatis succedit virium exolutio, animi deliquium, oculorum rubor, pruritus, tremor, deliriũ, in quo corpora sua flagris cædi putant: præterea caligant oculi, ossium compagines laxantur, lingua intumescit, ore spumant, spiritum difficulter reddunt. Oritur vertigo, surditas, vocis diversitas & qui evadunt, corripiuntur morbo comitiali, instar asinorum & mulorum subinde rudunt, vel sicut equi hinniunt.

Curatio: Succurrēdum statim vomitoriis & catharticis, quibus præmissis lac asininum exhibendum & hydromel. comedāt affecti nucleos pineos, piper longum, & pistacias: utantur frequentiùs decocto rad. mori, & opobalsamo cum lacte: Confert quoque illis decoctum cardamomi, baccarum & foliorum lauri: præ reliquis theriaca & mithridatium.

Mandragora.

DEcimo septimo loco venenatas qualitates attribuimus mandragoræ, quæ circæa & Anthropomorphos à Pythagora nominatur. Duplex est, mas & fœmina. Herba baccifera est, radicem habet, quæ inferiores hominis partes repræsentat: Montes Helvetiæ mandragoram superfluè alunt. *Sympto-*

Symptomata: Mandragoram in quantitate excessiva haustam insequitur segnities, languor, tristitia, virium exolutio, & somnus tam profundus, ut affecti clamoribus & torsionibus à sopore vix excitari possint. Et si excitati fuerint, præhenduntur amentes.

Curatio: Mandragoræ noxæ removentur per hydromel copiosissimè potum, vomituque rejectum: possunt quoque removeri per nitrum cum absynthio ex dulci vino aut passo sumptum. Naribus apponatur castoreum & ruta trita cum aceto permista: olfaciant extinctarum candelarum fumum: pulvis ellebori albi insuffletur naribus: Vesicatoria imponantur occipiti: acres injiciantur clysteres: fiant frictiones asperæ totius corporis: occipiti, scapulis & natibus admoveantur cucurbitulæ: fiant dolorifica partium extremarum vincula. Potissimum remedium est illis, qui radicem, vel baccas, vel succum mandragoræ hauserint, uno die ferre inediã. Interea tamen vinum meracum plenis poculis hauriant, & continuò olfaciant acetum, cui castoreum sit admistum. Certissimũ hujus antidotum est raphanus domesticus

cus cum ſale per triduum devoratus, item theriaca Androm. cum vino generoſo frequenter ſumpta.

Morion.

Morion qualitatibus ſuis venenoſis cum Solano convenit, eandemque curam expoſtulat, idcirco huic non immoramur.

Nux metella ſive vomica.

DEcimo octavo loco proferimus nucem metellam ſive vomicam, cujus duæ dantur ſpecies: quæ ambæ venenatis qualitatibus ſtipatæ ſunt.

Symptomata: Ab aſſumptis metellis nucibus oriuntur vertigines, temulentia, oculorum caligo & ſomnus inducitur inexpugnabilis, quem ſubſequitur ſudor frigidus, mortis vicinæ præſagiū: Et non ſolùm homines quantitas exceſſiva enecat, ſed & canes.

Curatio. Vomitoria hic ſæpe reiterata conferunt, à vomitu propinandum butyrum, & vinum generoſum in magna quantitate additis baccis lauri, pipere, rad. pyrethri, cinamomo & caſtoreo: partes extremæ aquâ calidâ fovendæ ſunt & illinendæ oleo coſtino & balarlino. Fiant frictiones aſperæ totius corporis

poris, illudque linteis calidissimè admotis calefaciendum, dein celeriter movendum est, & cibis vinoque dulci refocillandum: denique ea applicanda sunt, quæ opio conveniunt.

Opium.

DEcimo nono loco inter venena vegetabilia collocamus opium, quod lacryma est stillans ex capitibus papaveris leviter incisis, dum maturescunt.

Ingratus opii sapor facilè opium sumptum detegit, & unumquemque admonet, ne quis illo utatur: & ideo venefici aut maligni illud cuipiam non facilè propinant.

Symptomata: Opiô per imprudentiam aut ignorantiam in majori quantitate sumpto suboritur stupor, totius corporis perfrictio, singultus, oculorum caligo, vertigo, veternus, color faciei plumbeus, uti & labiorum, oris, & unguium: invalescēte veneni vi supervenit anhelitus difficilis, loquelæ amissio, subeth, inferioris maxillæ laxatio, nasi distorsio, præcordiorum divulsio, anhelitus frigidus, convulsio, quæ omnia cum sudore frigido strangulatus sequitur.

Veruntamen sciendum est non omnes æqua-

æqualem percipere noxam : nam minùs afficiuntur ſanguinei & cholerici : phlegmatici verò & naturæ frigidioris uti& ſenes magis exinde patiuntur : citiùs etiam opij noxa ſentitur, ſi ſumatur cum vino tenui, quia illud per venas vim opij celeriùs ad cor deducit. Quàm multi opio per multorum ignorantiam adhibito periêrint, & quotidie pereant, plurimas habemus obſervationes, quas tamen brevitatis causâ hìc deſcribere omittimus.

Curatio: Inſtituatur vomitus, alvuſque vehementi cathartico ſolvatur, quibus factis decoctum piperis & caſtorei exhibendum, idque bis aut ter repetendum. Quod ſi jam in veternum æger delapſus ſit, excitetur ſternutamentis, fibulis, frictionibus, odoramẽtis è moſcho, caſtoreo, aſâ fœtidâ, ambaro confectis & naribus inditis, quin & ſulphuris fumo, ſpiritu ſalis armoniaci, cornu cervi & urinæ, ut & ſalibus quibuſdam volatilibus excitari poterit. Excitato poſtmodũ ægro detur aqua cinamomi, ſpiritus vini, aqua theriacalis : ſi corpus movere incipiat, vinum meracum largiùs bibat, ſiquidem hoc calefaciendo confert.

Præ-

Præstans auxilium præbet sequens opiata ℞. asæ fœtid. castor. rad. pyrethr. pip. myrrh. sabin. ad q. v. pulverisentur & misceantur cum melle pro opiata: cujus dosis sit ʒj cum vino generoso sumenda.

Napellus.

VIgesimo loco ostendimus Napellum, qui duplex est, alius Napellus Moysis sive antithora, alius thora dicitur, de qua hîc sermo est. Et licet antithora & thora eandē repræsentent formam, facultate tamen maximè differūt. Napellus enim Moysis sive antithora verum est thoræ antidotum, nullâq; venenosâ qualitate pollet. Thora verò iam venenosa est, ut eâ ingestâ sævissima statim oriantur symptomata.

Symptomata autem potissima sunt labiorum inflammatio, tumor linguæ, intumescentia & prominentia oculorum, vertigines, syncope frequens, imbecillitas crurum, eorumque penè immobilitas, livor corporis, tumor ejus & cachexia.

Prognosis: Napellum ingerentes pauci evadunt: Et si evadāt, hectici vel phthysici, vel epileptici fiunt: tanta enim est hujusce veneni malignitas, ut nullis quan-

quantumvis generosis remediis expugnari possit : imò sagittæ illius succo illitæ subitò interficiunt.

Curatio: Succurrēdum illicò excitatis priùs vomitibus ex semine napi aut rapæ paratis : deinde propinanda sorbitio ex butyro cum vino cocto : hisce præstitis confert pulvis diambræ & diamoschi, quæ præ cæteris cum terra lemnia assumenda sunt. Conferunt præterea radices capparum contritæ & cum pauco croco ac cinnamomo sumptæ: Item pulvis smaragdi ad ℈ij. cum vino exhibitus. Præstans etiam napelli antidotum præbet mus qui thoræ radicem depascitur, siccatus, pulverisatus & cum liquore datus. Præstantius adhuc remedium censetur illud ℞. muscas flores napelli depascentes, illisque victitantes num. xxiiij. ten. sigill. ℥ij. bacc. laur. ℥ij mithrid. ℥ij. hæc omnia misceantur cum melle & sufficienti oleo amygdal. dulc. fiat mixtura : hujus dosis est ℥j. cum vino calido.

Fungi.

VIgesimo primo loco fungos venenatos esse dicimus, qui nec radices sunt, nec herbæ, nec flores, nec semina ideò

(ideo ad plantas terræ non nisi reductivè spectant) sed superflua solummodò terræ humiditas, vel arborũ, vel lignorum , qua de causa non diu durabiles sunt. Eorum species variæ reperiuntur, è quibus alii lethales sunt toto genere, ac proinde venefici : alii solâ copiâ ingesti Hi cùm naturâ humidi admodum ac frigidi sint, & lentore non modico scateant, si in cibis sumantur sine pipere, aut alio pulvere aromatico, vel majori quantitate, quàm ætas aut crasis, aut ventriculi fermentum digerere valeat, strangulant, & nisi maturè succurratur, prorsus interimunt. Illi autem lethales sunt, qui, si frangantur, illicò mutant colores, & statim putrescunt: qui nigri vel virides, vel in nigro purpurascentes visuntur, item qui intùs coloris sunt lividi & pallidum habent per ambitum labrum. Hi ne noceant, decoquendi cum pyris sylvestribus, aut hæc si desint, cum domesticis austeriusculis tam recentibus, quàm Sole siccatis, vel cum foliis ejusdem arboris. Hæc enim proprium sunt fungorum antidotum. Qui fungi propriâ naturâ venenati nascuntur, longè majora, quàm cæteri invehunt symptomata.

Symptomata. Quandoquidem non modò suffocant & comedentes strangulant, sed intestina quoque exulcerant, ventriculum inflant, singultum & punctionem excitant, corpori universo pallorem inducunt, urinam remorantur, tandemq; frigus, tremorem arteriarum interceptionem, animi deliquium, sudorem perfrigidum & mortem postremò immaturam inferunt.

Curatio : Vomitiones citissimè citandæ vel alvus ducenda vehementi cathartico, à quo succus raphani domestici, aut rutæ folia, vel origanũ cum melle sumenda. Post hæc theriaca aut mithridatium cum aceto acerrimo aut oxymellite, aut aqua vitæ capienda Vel horum loco aqua theriacalis persæpè propinanda: vel vinum generosum, in quo piper inferbuerit, vel diapipereon, diacyminum, diagalanga, diamoschum, vel allium crudum devorandum : item porrum sub cineribus coctum : decoctũ quoque satureiæ & origani unà cum fimo gallinaceo albo melli & aceto commisto potatum confert.

Elle-

Elleborus sive Veratrum.

VIgesimo secundo loco venenatas demonstramus qualitates ellebori sive veratri : cujus duæ dantur species albus scilicet & niger.

Utrumque dicimus veneficum, potissimùm verò album imitantes Gal. & Mesuem, eorúmque Asseclas: uterque enim nisi corrigatur & magna cum cautione assumatur, noxas non mediocres concitat.

Symptomata: autem utriusque sunt vomitus, profluvium alvi, lypothymia, intestinorum tormina, strangulationes, spirandi difficultates , sudor frigidus, quibus perseverante veneni malignitate singultus, suffocatio subitanea, tandem convulsio , mortis vicinæ præsagium superveniunt.

Curatio: Utrique conveniunt vomitiones & alvi turbationes quacunq; arte illæ provocari poterunt. Hisce præmissis detur theriaca , quæ superpurgantis prædicamenti refrœnandæ ferociæ vim potentissimam obtinet; quanquam aqua mulsa largiùs sumpta proprium ellebori albi sit antidotum , sicut flores nymphææ ad ℥ij. exhibiti, ita ellebori nigri

proprium alexipharmacum statuitur absynhium cum vino potum, vel terra lemnia, aut nardus Indica unà cum castoreo sumpta: theriaca etiam vel anisi semen cum aqua plantaginis prodest. Quodsi venter intumuerit, admoveantur ei lintea igne calefacta & sacculi flatus discutientes.

Euphorbium.

VIgesimo tertio loco patefacimus malignitatē euphorbii, quod succus est concretus acerrimus ex sauciata Lybica ferula ejusdē nominis extracta.

Symptomata: Quodsi euphorbium assumptum fuerit, id incendio admodū vehementi fauces & guttur vexat, corpus universum inflammat, ventriculum & intestina erodit, singultum excitat & continuas alvi fluxiones.

Curatio: statim provocetur vomitus butyro hausto, oleo amygdalino, jusculis pinguibus: alvus solvatur clysteribus, quibus injectis haurienda aqua solani hortensis, violar. nymph. sorbeatur mucago sem. malv. alth. psyllii. cydonior. lini, potetur aqua rosacea cum camphora, item lac acidum, vinum granatorum

torum, aqua stillatitia, aut succus aut decoctum angur. cucum. cucurbit. malor. acidor. proprium ejus antidotum est semen citri cum vino potum, in quo radix enulæ inferbuerit.

Thymeleæ & Chamelæa.

VIgesimo quarto loco venenis vegetabilibus associamus thymelæam & chamelæam: fructus thymelææ vocantur grana gnidia sive coccognidia, crescit in locis montosis & sylvestribus: Chamelæa seu mezereon, quæ prædatrix vitæ & viduarum genitrix jure meritò appellatur: hæc crescit in obscuris humidisque sylvis. Ista ambo cum qualitatibus non differant, in uno atque eodem loco compendii causâ conjungimus.

Symptomata: Ab his epotis pituitosæ & spumantes vomitiones excitantur, alvi profluvia, intolerabiles intestinorũ & ventriculi erosiones, angustiæ, inflammationes & universi corporis cruciatus: sitis quoque implacabilis, singultus, convulsio, locutio impedita, aliaque symptomata multò vehementiora, quã ab assumpto euphorbio oriuntur.

Curatio: primò omnium huc revocanda sunt euphorbii remedia, præter quæ theriaca Androm. terræ lemnia, syrupus rosar. cum ptisana hordeacea conferunt. Vomitus verò, qui hìc plurimum negotii facessit, compescendus: ubi venenum rejectum fuerit, sumantur myrobalani saccharo conditi, nuces conditæ, diacydonites, saccharum rosarum antiquum, additâ terrâ sigillatâ & cornu cervi usto ac coralliis: bibatur etiam vinum granatorum & succus prunorum sylvestrium. Ventriculus totusque venter illinatur oleo mastich. cydonior. additis pulveribus nardi celticæ, menthæ, glandium thuris & foliorum myrthi.

Tithymalus.

VIgesimo quinto loco exponimus tithymalũ, cujus undecim species nobis constant, ubique fermè locorum reperibiles.

Symptomata: Omnis tithymalorum generis expressum lac, si in corpus ingeratur, eadem, quæ elleborus, imò vehementiora invehit symptomata, hoc vel argumento certissimo, quòd cùm facies vel manus eo lacte illinantur, surgunt in tumorem & discolores redduntur velut

lepro-

leprosorum facies : potissimum verò symptoma est fluor alvi dysentericus.

Curatio: Antequam fluori dysenterico consulatur, necesse est, ut priùs venenum è ventriculo per vomitum & secessum deturbetur : hinc ad antidota progrediendum, è quibus præcipuum censetur theriaca Androm. vel cœlestis sumpta cum vino , in quo dictamnus creticus incoctus fuerit. Valet quoque mumia ad ℨj. cum meraco hausta. Deturbatô è corpore venenô profluvio alvi dysenterico succurrendum potu appropriato, clysteribus aliisque medicamentis dysenteriæ cōvenientibus. Præcipuum tamen ac magis conveniens remedium est semen narturtii ad ℨiij.in lacte coctum & potum. Quod si hoc non profecerit, ad narcotica veniendum, nimirum ad philonium Persicum, Athanasiam, Requiem Nicolai, tripheram magnam cum opio : paranda quoq; sunt balnea ex aqua pluviali, in qua flores rosar. balaust. cortex granator. folia rubi, pyra austera, poma acida, mespilæ, sorbæ, gallæ, glandium cupulæ, folia vitis agrestis & berberis incocta fuerint. Cibi sint adstringentes , quales sunt oryza,

cydonia, sorbæ, mespilæ, pyra, lentes excorticatæ aut bis coctæ aquâ primâ rejectâ & diligenter expressa: puls ex farina similæ & lacte chalybeato: caro pullorum assa condita cum adipe renum caprarum vel hircorum ad ignem in sartagine dissoluta & super assaturam rotata. Potus sit vinum rubrum suave & dulce cum duplo aquæ chalybeatæ: convenit etiam aqua decoctionis sumach ac myrthillorum cum saccharo rosato dulcorata.

Turpethum seu Turbith.

TUrpethum ob calidam & acrem qualitatem suam venenosa ac noxia qualitate pollere affirmamus. Idcircò antequam intrà corpus sumatur, corrigendum est. Copiosè reperitur in littoribus maris.

Turpethum cùm symptomata tithymalo haud dissimilia habeat, eandémque curam postulet, ideò diutiùs non immorabimur.

Scammonium & Diagrydium.

VIgesimo sexto loco adducimus scāmonium, quod succus est ex radice scammoneæ plantæ lacteo succo plenæ extractus. Quod si correctum fuerit

rit, dicitur diagrydium.

Symptomata eadem, quæ tithymalus, scammonium & diagrydium in quantitate excedente sumpta inferunt.

Curatio. Utriusque proprium antidotum est lac ebutyratum sæpe haustum. Item succus malorum cotoneorum ebibitus, uti & succus rhois, vinumque ribis vulgaris epotum.

Colocynthis seu Cucurbytha sylvestris.

VIgesimo septimo loco insinuavim' colocynthidē, quæ venenosa qualitate suâ corpori humano valdè perniciosa existit.

Symptomata: Colocynthis præ reliquis corporis partibus cordi infensa est, ventriculum commovet, respirationem difficilem reddit, ora venarum aperit, fluxum alvi facit cruentum, hypercatharses excitat, intestina & ureteres abradit, denique causat deliquium animi & sudorem fridigum.

Curatio. Confert adversùs colocynthidem lac bubulum & butyrum recens sæpè sumptum. Hujus veneni specifica sunt Theriaca Androm. terra lemnia & pulvis smaragdi. Huc referenda quo-

queea, quibus euphorbii noxis medemur.

Cyclamen seu umbilicus terræ.

VIgesimo octavo loco adjungimus venenosis plantis cyclamen seu artanitam: quod quid sit, vulgo constat.

Symptomata: Cyclamen intrà corpus sumptum eadem infert quæ tithymalus, maximè alvi profluvium.

Curatio: huic repugnamus radice gentianæ, pipere nigro, theriacâ, terrâ lemnia & baccis lauri ad ℥ij datis.

Bryonia.

VIgesimo nono loco venenositatem bryoniæ manifestamus, quæ & vitis alba dicitur. Crescit undique in dumetis: hujus radix dissecta igni apposita tam venenosum spirat vaporem, ut si serpens vel bufo illam attraxerit, illicò moriatur. Qua de causa, quin humano corpori etiam nociva sit, non dubitamus.

Curatio: Eadem remedia hîc locum habere possunt, quæ euphorbio sumpto adhibentur. Proprium ejus antidotum est theriaca cum vino, in quo helenium decoctum fuerit.

Cu-

Cucumus asininus.

TRigesimo loco Vegetabilium venenorum numero adjicimus cucumerem asininum seu sylvestrem, qui & erraticus dicitur.

Symptomata: Quicunque succum cucumeris asinini hauserit, is excoriationem gutturis, ventris solutionem, nec non horrenda intestinorum tormina patietur.

Curatio: Huic dentur theriacæ ʒij cum decocto baccar. lauri & melle: ejus antidotum est succus menthæ cujus ℥j. pro dosi exhibenda est.

Papaver nigrum.

TRigesimo primo loco papaver nigrum venenosum esse statuimus: hoc passim in hortis colitur.

Symptomata: Hausto papaveris nigri succo stupor mentis, sopor, dementia non aliter quàm ab assumpto opio suscitatur. Eadem etiam symptomata suboriuntur ab epoto ejusdem semine.

Curatio: Theriaca & diacastoreum vel confectio anacardina ad ʒiß. sumenda: ejus antidotum est allium.

Cataputia major

TTigesimo secundo loco cataputiam

am majorem venenum participare indicamus: hæc aliàs ricinus ſeu cherva, vel Palma Chriſti nuncupatur. Ante hàc rara fuit avis in Germania, nunc in pluribus hortis pro ornamento colitur.

Symptomata: ſuccus huiuſce plantæ hauſtus parit aſſiduum vomitum & dolorem ventris.

Curatio: Hujus veneni remedium eſt theriaca Androm. ad ℥ij. cum vino generoſo calido exhibita : valet quoque contra ſuccum cataputiæ ſuccus hyperici.

Nuces juglandes & avellanæ.

TRigeſimo tertio loco venenis vegetabilibus annectimus nuces, quarum ſpecies ſunt multiplices.

Symptomata : nuces in majori copia comeſtæ cauſant reſpirationem difficilem, tuſſim, dolorem capitis, ſputum copioſum & linguæ paralyſin. Nuces rancidæ plus nocumenti ferunt : Quicunque enim eas comederit , patietur nauſeam, appetitus proſtrationem, vomitum, virumque animalium imbecillitatem.

Curatio: Hiſce ſymptomatis obviamus cydoniorum & pomorum ſucco:

Quod-

Quodsi ructus superveniat, dandum dia-cyminum vel diapipereon cum vino generoso & ventriculus oleo nardino illinendus.



CAPUT VII.
ET
CLASSIS SECUNDA
Venena intrà sumptarum animantium in specie cum antidotis
CANTHARIDES.

Ex animalibus venenatis primò desumimus cantharides, quarum species diversæ, diversi coloris ac diversarum formarum: producuntur ex genere quodam vermiculorum erucis non absimilium, quæ nascuntur ex humore foliis fraxini, populi, ligustri, triticique inhærente.

Symptomata: Cantharides tam calidæ & acres sunt, ut extrinsecùs applicatæ cutim corrodant, & vesicas in ea excitent. Quare inter venena jure merito recensenda sunt. Quodsi assumantur, specifica ex proprietate vesicam exulce-

çerant, incredibilem in mejendo causant cruciatum, penem, renes, testes, pubemque insigniter inflammant: viscera interiora erodunt, unde sanguinis mictio: præterea inflammant dextrum hypochondrium, profluvium dysentericũ excitant, defectum animi, ingentem anxietatem, vertiginem, delirium & amentiam causant. Herbipoli 1681. quædam puella, cui miles quidam ad amorem alliciendi causâ cantharides propinaverat, ita mente capta fuit, ut, licet quamplurima medicamenta adhibita fuerint, minimè tamen restitui potuerit.

Talia plura prô dolor prostant exempla, quæ adducenda forent: verùm cùm ex hoc uno qualitates cantharidum venenosæ sufficienter elucescant, id unicum etiam sufficiat.

Curatio: Cantharides sumptæ intra educendæ foràs crebris citatis vomitibus, & clysteribus paulò acrioribus infusis: vesicæ verò ulceratæ (ut cui suapte naturâ plus nocent cantharides) succurrendum medicamentis refrigerantibus, crassis, lentis & pinguibus simul mixtis. Ea de causa lac humanum ab ipsis uberibus frequenter sugendũ: sorbenda quo-

que

que mucago seminis psyllii, cydoniorũ & malvæ, syrupus violarum, Nymph. papav. succus lactuc. portul. cucum. cucurbit. emulsiones seminum papav. melopepon. cucurbit. cucum. angur. & lactuc. cum aqua viol. malv. solan. vesic. & similia conferunt. Quia etiam decem vel duodecim baccæ alkekengi contusæ, & cum aqua portulacæ aut ptisana hordeacea sumptæ multum juvant: valet quoque oleum amygdal. d. ad ℔ß. haustum: item oleum papav. expressum uti & ol. nucleor. pineorum. aqua stillatitia malvæ, bismalv. cucurbit. liberaliùs haurienda. Ulceratis dein intestinis consulendum clysteribus ex jusculis pinguibus confectis addito adipe hirci aut cervi, oleo rosaceo, aquâ plantag. vel portul. eloto. Pubes, penis & testes illinantur ol. ros. viol. Nymph. papav. momordic. ex his tantillum penis meatui per catheterem injiciendum, addito ovi albumine diutiùs agitato, aut succo sedi majoris vel hyoscyami vel portulacæ. Ingrediendum quoque balneum, quod parandum ex foliis, radicibus & seminibus malv. alth. violar. psyllii, foenugr. lini, hyoscyami & similib. in aqua coctis.

coctis. Hisce præstitis sumendum frequenter mithridatium: sequens opiata præstantissima est ad cantharides assumptas. ℞. Nucleor. pineor. ℥iij. nuc indic. rec. ℥ij. pistac. ℥iß. sem. melon. cucurbit. cucum. papav. alb. malv. ad ℥ß. cortic. arbor thur. ʒiij. Margarit. corall. utriusque santal. alb. ad ʒiß. succ. liquirit. ʒij. bacc. junip. ℥ß. gum. arab. ℥iß. terr. lemn. ʒvj. succ. bacc. halicacabi, portul. ad ℥vj. syr. violar. ℥viij. mucag. sem. cydonior. in aq. violar. extracta ℥vj. syr. Nenuph. papav. ad ℥v. terenda terantur & omnia misceantur pro opiata. Dosis est magnitudo castaneæ singulis tribus horis capienda.

Erucæ, Salamandra, Lacertus, Buprestis & Stellio.

SEcundò horum insectorum virulentiam notificare necesse est, & qualia sint animalia ac unde oriantur sciendũ.

Eruca insectum est vulgaris notitiæ originem trahens vel ex stirpium excrementis, vel ex ovis papilionis, & tot fermè species sunt, quot plantarum.

Salamandra est animal quadrupes ex lacertorum genere, nigrum, luteis maculis conspersum, frigidorum ac humidorum

dorum locorum incola, fontiumq; limpidorum admodum amans : Nonnulli distribuunt salamandram in terrestrem & aquaticam. Venenosum certè animal est unà cum morsu suo lacteo spumam virulentam conferens.

Lacertus insectum est quoad figuram notum, colore varians, bufonibus & araneis inimicum. Duplex reperitur, scil. terrestris qui minùs venenosus, & aquatilis, qui magis venenosus existit.

Buprestis & *Stellio* animalia satis cognita non minùs, quàm prædicta venenosa censenda sunt.

Symptomata : Si quis de his animalibus sumpserit, vel aquam in quam hæc ceciderint, hauserit, vel herbam aut fructus eorundem animalium salivâ aut mucosâ specie infectos devoraverit, eadem is patietur symptomata, quæ cantharides invehunt, non quidem ratione vesicæ, sed ventriculi ac intestinorum.

Curatio : Horum animalium veneno infectos curabimus iisdem remediis, quæ contra venenum cantharidum descripsimus.

Bufo seu rana terrestris maculata, rana palustris & rubeta.

TErtiò notificanda sunt venena bufonis, ranæ palustris & rubetæ. Præ cæteris virulentiâ suâ præpollet bufo, quod animal veneno plenum est, ut non immeritò terrestris toxici & contagiosæ virulentiæ bursa magnetica dici possit; unde vel ipso horrido suo aspectu, tumido membrorũ ductu, oculorum truculentiâ & funesto faucium hiatu nulli non formidinem ad primum aspectum incutiat; ad ambulandum tardissimum est, unde Saturni sobolem se esse demonstrat; tumidâ & tuberosâ pelle, veneni, quod continet virulentiam designat; fœtore lethifero & abominabili halitu suo dum & plantas & animalia inficit, nescio quid cum peste commune habeat? tanto in hominem odio est, ut suspensus vel verberatus ab homine præ nimia in illum rabie moriatur, unde humano generi maximas struit insidias, dum illi oculorum halituosâ virulentia & exitiali afflatu omnibus modis nocere conatur; & quoniam dissitum non semper opportuno aspectu adoriri potest, hinc naturali liquore sibi insito, & lotio viru-

virulentissimo, quod in vicinos vibrat, hominem aggreditur, ut vel hoc pacto rabiem suam satiet. Quod autem bufo veneno pessimo scateat, satis apparet in luctuosa catastrope Monasterii cujusdã in Germania, in quo Monachi intra unius diei spatium ad unum extincti sunt omnes incuriâ coci, qui carnes coxerat in lebete immundo, in quem bufo, pinguedini inhians, noctu irrepserat, eamq; suo veneno infecerat. Pariter si quis aquam biberit, in quam se conjecerit rana palustris, vel cùm fructus vel herbam comederit, quâ salivâ vel mucosâ quadam specie infecta fuerit, horrenda inde excitantur symptomata: qualia sunt oculorum caligines, vertigines, convulsiones, dysenteriæ, fastidium, vomitus, syncope, amentia, seminis emissio, & totius corporis inflatio. Pauci ab assumptis hisce venenis evadunt, & licet evaserint, edentuli fiunt.

Curatio: omnium nunc dictorum animalium venena expellantur primò per vomitum & secessum: his præmissis paretur potus ex vino & theriaca aut mithridatio, quo sex diebus utendum: vel potetur sanguis testudinis marinæ,

addito camino, leporis coagulo & vino: vel sumatur pulvis smaragdi ad ℈j. quo sumpto includatur ille, qui venenum hauserit, exenterato corpori animalis quadrupedis magni bovis scil. vel muli vel equi ibique relinquatur, donec deferveſcat cadaver, idq; continuandum, donec oborto sudore noxa cedat. Corporis exenterati quadrupedis vicem supplere poterit clibanus calidus vel laconicum, in quo sudor excitetur. Proprium horum venenatorum animalium alexipharmacum est bufonites. Commodissimè quoque adhiberi potest theriaca cœlestis.

Symptomata, quæ superveniunt, peculiarem exigunt curationem: siquidem inflatio ventris vel totius corporis remedia hydropicis convenientia postulat, mollificatio corporis remedia paralyseos. Ex corpore bufonis exsiccato à Veneficis paratur pulvis; uti in Magia naturali scribitur, qui si assumatur, multum præstat & confert ad venena hæc expellenda

Vitulus Aquaticus.

QUartò manifestatur virus vituli aquatici, qui vermis est tenuis, du-

orum

orum cubitorum longus, coloris subalbidi, in aquis cœnosis & paludibus moratur, ab aspicientibus propter similitudinem pilum caudæ equinæ esse creditur.

Symptomata eadem oriuntur à vitulo aquatico sumpto, quæ rana terrestris invehit: hinc eadem instituenda curatio.

Hirudo seu Sanguisuga.

QUintò quàm periculosæ sint Hirudines, notificare necessitamur; quarum species diversæ sunt, majores scil. & minores: ex majoribus alia est equina, alia subfusca, è minoribus alia variegata reperitur.

Insecta sunt palustria, lumbricorũ instar oblonga, generantur ex putredine; majores magis nocent quàm minores, & ex illis magis, quæ lineis in dorso distinctæ sunt: majores dicuntur equinæ ideò, quia illarum novem equum sugengo interimere valent.

Sanguisugæ si fortuitò cum aquis palustribus, lacustribus, aut stagnantibus à peregrinantibus siti cruciatis hauriantur, sæpè in faucibus aut Oesophago affixæ hærent, quod ex earum suctione percipi potest. Non raro etiam hæmor-

morrhoïdibus applicatæ anum ingrediuntur, unde nisi maturè per enemata idonea evocentur, terribiles dolores creant.

Symptomata. Sanguisugæ è partibus corporis, quibus affixæ hærent, sanguinem exsugunt, eásque corrodunt.

Curatio: Quod si hirudines faucibus vel œsophago inhæreant, utendum gargarismatis ex lixivio cinerum salicis, aut ex aqua & aceto, in quibus alumen efferbuerit, paratis. Gargarisma etiam valdè proficuum parari potest ex muria, in qua tantillum vitrioli vel salis armoniaci, sinapi, acetum & lixivium commixta fuerint. Quod si faucium ambitui inhæreant, frigida in ore detenta & calidæ balneum opem mirificam ferent. Nam ab aquæ calore propulsatæ ad frigidam in ore detentam decurrentes facilè cum ipsâ aquâ exspuentur. Accidit nonnunquam, ut statim sub linguæ radicibus, vel in primis faucium partibus adhærescant, ita ut depressâ linguâ videri possint, tunc rostratis forcipibus extrahendæ sunt. Si orificio ventriculi affixæ fuerint, auxilium præstat muria leviter pota, fœtida item laser-

pitii

pitii lacryma : Quin & lixivium cum aceto & sale, vel succus raphani domestici cum aceto , vel oleum haustum, quod solum animalia illa interficit. Hæc præter conferunt ea , quæ lumbricos intestinorum enecant.

Cauda Cervi

SExtò se monstrat cervus venenum in cauda gestans , animal est vivacissimum, annos centenos supervivens, cursu velocissimum , cornua quot annis mense Aprili deponens, coit mense Augusto & Septembri circà diem S. Ægudii, & mense octavo parit. Hujus animalis caudam venenatam esse , indicat humor porraceus bili persimilis in ejus extremitate contentus.

Symptomata : Liquorem in extremitate caudæ cervinæ contentum si quis hauserit, angustiam vehementem & dolorem sentiet in orificio stomachi, indeque frequens animi deliquium & cætera napelli symptomata patietur.

Curatio : Hoc in casu laborandum statim , ut venenum tam per vomitum quã per secessum expellatur: deinde pugnandum alexipharmacis , qualia sunt theriaca Androm. theriaca cœlestis,

pulvis bezoarticus, quæ iteratis vicibus cum vino generoso calido assumenda sunt: pulvis quoq; smaragdi ad gr. XV. à vomitu cum vino sumptus multum præstat: post hæc devorentur lardiùs pistaciæ & nuces ponticæ, totumque corpus oleô semin. citri expresso illinatur.

Fel ex animalibus.

SEptimò nocumenta, quæ ex animalium felle oriuntur, proponenda veniunt: Enim verò sit qualecunque fellis genus, si in cibo vel potu assumatur, est ex genere venenorum, licet animalia, è quibus capitur, venenata non sint.

Symptomata: Epotô itaque felle vomitus biliosus, frequens animi deliquium & omnia fermè symptomata oriuntur, quæ taurinum sanguinem haustum sequuntur. In specie autem maximè exitiosum censetur felle Leopardi, Leonis, canis aquatici, canis rabidi & viperæ. Quandoquidem si quis quidpiam de horum felle hauserit, statim vomet amara, toto corpore flavescet, taliaque patietur symptomata, quæ ex assumpto napello nascuntur, & intrà paucum temporis intervallum morietur, nisi citissimè succurratur.

Cu-

Curatio: Vomitus statim ciendus, alvusque movenda à vomitu alvoque mota sumendum mithridatium cum granis aliquot moschi & ambræ: pulvis quoq; diambræ & diamoschi valdè proficuus est: fiat etiam mixtura ex pulvere rad. gentian. Cinam: & coagulo leporis, quæ cum vino calido assumenda est: illinendum denique corpus oleo quodam odorato.

Sanguis taurinus

OCtavò ostendendæ sunt noxæ sanguinis taurini, qui non omnis venenatus est, sed recens tantùm ac calidus è jugulati tauri venis defluens, bibitus antequàm concreverit. Sanguis autem ille non enecat facultate quâdam propriâ, sed concretione solùm, quæ in ventriculo oritur.

Symptomata: Itaque horrenda patietur is, qui taurinum sanguinem adhuc calentem largiori poculo hauserit; qualia sunt spirandi difficultas, stranguria, faucium angustia, singultus, convulsio, &c.

Curatio: Hoc in casu vomitus quamprimùm citandus, hoc facto, acetum acerrimum calidum, aliaque concretum

 san-

ſanguinem diſſolventia adhibenda ſunt. Hiſce adhibitis alvus vehementi cathartico ſolvenda eſt. Salutis ſpes affulget, ſi per alvum fluida & ſtercoroſa egerantur.

Cerebrum felis.

NOnò in conſpectum venit cerebrum felis ſummè virulentum, & non ſolùm cerebrum, ſed & ipſe halitus homini nocivus eſt: ſiquidem hic jejunis omni modo vitandus eſt, quoniam pulmonem petit & exulcerat, ac tandē phthyſeos fundamenta jacit. Cæteroquin venenum quod felibus non rabidis attribuitur, in earum capite potiſſimùm ac cerebro ſtabulatur.

Symptomata: De quo ſi quis comederit, ſtolidus, mentiſque expers evadit: alioquin reliquæ felium non rabidarum partes haud venenatæ habendæ ſunt. In rabidis autem venenum per totum illarum corpus diffuſum eſt, quod unicuiq; hominum pernitioſiſſimum exiſtit: quia felis rabidæ morſus aut comeſtio plurima venena ſuperat, & uti canis rabidus ad morſum in ſuam transformat naturam, ita quoq; felis in ſuā. Id prô dolor! docuit exemplum lugubre trium Helvetorum

torum Juvenum, qui Patriam repetituri, dum cum caupone quodam in tricas circa ciborum conditionem incidiſſent, caupo ſe vindicaturus, felem in rabiem primò actam, aſſatamque hoſpitibus tribus, ſcilicet dictis juvenibus, appoſuit, quam illi cuniculum putantes totam conſumpſerunt. Sed vix itineri ſe peracto prandio commiſerant, dum ecce omnes in rabiem acti, voces edentes felinas, manibus quoque digitiſque in unguium modum curvatis quoſcunq; obvios impetiërunt, capti tandem ac conſtricti omnes tres intra paucas horas interiêrunt.

Curatio: Devorato cati non rabidi cerebro, vel carne felis rabidæ, mox vomitus excitandus, alvuſque turbanda eſt: terra deinde lemnia frequenter exhibenda: diamoſchum ter quaterve indies capiendum, moſchum etiam per ſe ad ℈ß. cum vino ſæpè ſæpiùs potandum maximè ante ſumptionem cibi, idque diu [illegible]m.

Præter felis cerebrum ſunt pili, qui inſcienter in cibis ſumpti meatus reſpiratorios obſtruendo ſuffocant: præ cæteris pili felium exitiales ſunt. Ad hæc

feles

feles non tantùm cerebro & pilis venenatæ ſunt, ſed & halitu ſuo, ut ſuprà dictum, oculorumque intuitu, ita ut non pauci, felibus delectati, attracto earum venefico halitu, tandem contabuerint. Accidit etiam, ut nonnulli his viſis vel auditis pavore quodam illicò rapiantur ac plurimùm terreantur: Hoc ſanè non ſolùm ex felium veneno procedit, verùm ex propria etiam hominum quorundam natura, qui eas vel intuentur vel audiunt; quæ neſcio, cujus qualitatis à cœlo manantis particeps antipathia quadam movetur ad objectum ac præſentiam rei, naturæ illorum contrariæ atque adverſantis.

Curatio: In ſimilibus caſibus ordinanda ſunt, quæ valent ad aſſumptum felis cerebrum.

Caſtoreum putrefactum

DEcimò ſcitu neceſſariæ ſunt virulentæ qualitates putrefacti Caſtorei, quod animal eſt amphibium, in aqua ac terra degens, vivens pi[illegible] & [illegible]ctibus arborumque corticibus. Caſtoreum quod jam putredine nigredinem contraxit, ex propria ſua natura venenoſum eſt.

Sym-

Symptomata haud exigua inde emergunt: Quicunque enim de hoc sumpserit, furore agitatur, linguam intumescentem exerit, & sæpè tam acutâ febri corripitur, ut uno die interire debeat.

Curatio: Toties vomendum butyro & hydromelite, quoad ea quæ rejiciuntur, nullum castorei odorem referant: à vomitu capiendum diamorum, vel succus limonum, vel mali citrei addito saccharo hauriendus. Proprium hujus veneni antidotum est semen coriandri tostum ad ℥ij. sumptum.

Sudor quadrupedum.

UNdecimò quàm nocivus sit quorundam animalium sudor, equi præsertim, asini & muli, vix credi potest: Nam si inscienter haustus fuerit, viridem tumidamque reddit faciem, sudorem fœtidum in universo corpore maximè sub alis excitat, ventriculum destruit, & intestina flatibus replet.

Curatio: huic confert tepidam largiùs b[illegible]ro vel oleo, ut concitato inde vomitu pulverulentus sudo[illegible]jiciatur. Post vomitum potetur vi[illegible] cum rosaceo, sumaturque rhabarb. ad ʒjß. addito salis fossilis momento. Hujus

jus proprium antidotum censetur theriaca Avic. ex terra lemnia & baccis lauri confecta.

Sanguis menstruus mulieris biliosæ & facilè rixantis: Item hominis cholerici & leprosi omnis venenosus est.

DUodecimò venenorum in hac classe contentorum seriem ingreditur sanguis menstruus, ut & biliosi ac leprosi hominis.

Symptomata: Si quis enim talem sanguinem hauserit, is ita effascinabitur, ut lunaticus, præstigiatus, maleficiatus, obliviosus & amens evadat. Quod si cuidam in potu datus fuerit sanguis hominis biliosi præsertim rufi, & in tempore rixæ aut furoris detractus, is patietur mentis furorem, & omnem modestiam exuens paulatim exsiccabitur

Curatio: Huic, qui sanguinem menstruum biberit, auxiliandum margaritis præparatis ad ʒj. cum aqua melissæ datis, & aquæ tepidæ balneo: gaudeat deinde frequenti consortio [illegible] : interim sumat quotidie theriac. cœlest. gr. xv. cum aq. fumar. ℥ij. vel ℞. troch. viper. marg. ppt. theriac. androm. ad ℈j. m. detur in forma boli.

Qui

Qui sumpserit sanguinem leprosi hominis aut cholerici, is sæpe bibat aquam cucum & grana. ejus masticet, succumque sorbeat , capiat etiam frequenter syr. Nymph. specificum Alexipharmacum adversùs utriusq; sanguinem sunt trochisci viperarum.

Lac intùs coagulatum.

DEcimò tertiò venenum sapit lac intùs coagulatum , quod ex se & propriâ naturâ succulentum præbet alimentum, non venenum , si antequam sumatur, concreverit : hoc enim absque labore magno in ventriculo digeritur, transitque in nutrimentum. Lac autem quod hauritur, priusquam concrescat, & ubi aliquantisper in ventriculo resederit, vi admisti sibi coaguli, aut alia de causa ibi concrescit, & ex concretione illa venenatam qualitatem acquirit : unde strangulatum, anxietatem atque angustiam circa ventriculi orificium parit : proinde suademus, ut lac potaturus, eidem antequam gustet, mellis, vel salis vel sacchari tantillum admisceat.

Curatio : Lactis intùs coagulati eadem est cura, quæ & sanguinis taurini, ut ea nimirum sumantur, quæ suapte naturâ con-

concreta resolvunt & discutiunt; quare præscribimus coagula, maximè leporinum, acetum tepidum potandum & per vomitum reddendum: Conferunt præterea succus Chelidonii majoris, semen napi cum aceto, acetum squilliticum, semen brassicæ cum lixivio cineris ficulnei, nitrum, ac semen conytæ cum pipere & aceto sumptum.

Lepus marinus.

DEcimo quartò venenum participat lepus marinus, cujus carnem si quis comederit, vel in potu hauserit, statim prorumpet in vomitum unctuosum ac fœtidissimum, toto corpore hydropicorum ad instar inflabitur, nec non ictericus evadet: in pedum plantis vehemens sentiet incendium, anhelitum habebit fœtidum ac difficilem: oculi reddentur concavi & rubri. Ad hæc torquebitur tussi siccâ, pulmo exulcerabitur, sputa cruenta ejiciet, quæ omnia symptomata tabem causabunt.

Curatio: Vomitus hîc statim provocandus per decoctum ellebori, alvus dein per validum catharticum solvenda: quibus præstitis propriô alexipharmaco pugnandum, nimirum sanguinem hu-

ma-

manum calentem è venis potando, lac humanũ sugendo ex ipsis uberibus. Pro proprio etiam alexipharmaco habetur diatesseron per tres dies adhibitum, item caro passerum & vulpina assata, quæ sæpè comedenda & desuper vinum generosum hauriendum.



CAPUT VIII.
ET
CLASSIS TERTIA
Venena sumptarum rerum mineralium cum antidotis.

LYTHARGYRIUM

PRimum locum inter venena mineralia possidet Lythargyrium, quod excrementum est spumosum è purificatione argenti residuum: duplex est, argenteum scilicet & aureum. Lythargyrium foris applicatum licet miranda præstet, intra tamen assumptum horrenda mala adfert.

Symptomata: Hausto itaque lythargirio totum corpus intumescit, maximè lin-

lingua: in partibus internis dolor vehemens ac erosio sentitur: vomitus, alvi profluvium & diabetes eodem fermè tempore suboriuntur, quibus procidentia ani & plumbeus totius corporis color succedunt.

Curatio: Huic sævienti veneno maturè occurrendum, ejusque Symptomatibus, quæ consequuntur, resistendum remediis adversùs frigida venena valentibus: primò itaque præscribendum est catharticum, dein diureticum ex decocto seminis apii, petrosel. cum vino præparatum; tertiò proprium ejus alexipharmacum nempe myrrha ad ℥iij. cum vino propinanda est.

Cerussa

SEcundum tenet locum Cerussa, quæ vulgo notissima.

Symptomata: Hæc intrò sumpta dentes nigrefacit, dolorem ventris gravativum excitat, cerebrum refrigerat, à quo delirium: pectori tussim siccam, ventriculo singultũ, intestinis diarrhœam & tenesmum, cordi syncopen vesicæ corrosionem, mictionem nigram & tandem toti corpori colorem lividum infert.

Cu-

Curatio : cùm venenum hoc minetur coma somnolentum, aut apoplexiam, primò imperandæ erunt vigiliæ; secundò vomitorium præscribendum; tertiò injiciendi sunt clysteres acriusculi; 4tò venenum hoc eliminandū proprio suo alexipharmaco, vino nimirum generoso largiùs hausto, vel liquore ulmi, vel oleo liliorum cum hydromelite, vel mucilaginibus sem. fœnugr. alth. malo. & psyllii potis.

Cinnabaris.

TErtium locum occupat Cinnabaris, cujus duæ species in officinis habentur, scilicet factitia & nativa seu mineralis.

Symptomata: Cinnabaris in dosi paulò majori sumpta inflammat fauces, ventriculum & intestina corrodit, undè cruentum alui profluvium: quæ evomuntur, rubra sunt.

Curatio: Sorbeantur juscula pinguia, injiciantur clysteres ex hydromelite & oleo parati: dentur in potu ʒij. spodii, quod singulare ejus censetur esse antidotum. Remediis etiam utendum, quæ ad sublimatum & cantharides conferunt.

Viride æris.

QUartum hac in classe sibi vendicat locum viride æris, quod iisdem stipatum est symptomatis, quibus cinnabaris.

Curatio: Clysteres lenientes ex decocto violar. malv. bismalo: sem: alth. lini, fœnugr. parati injiciantur: Injectis clysteribus exhibeantur cathartica lenientia, sorbeantur juscula pinguia, potissimùm mucago sem. fœnugr. alth. malv. lini. bibatur lac acetosum, vinum granatorum, succus pomorum acidorum, succus berberis &c. postremò hauriatur urina asini aut fel capreoli cum aqua calida: vel dentur ℥ij. Corallor. rubr. pptorum, quæ postrema specifica adversus hoc venenum alexipharmaca habentur.

Calx viva.

QUintũ locũ obtinet calx viva, quæ cùm ignea prorsùs sit, mordax, adurens, & temporis progressu crustam gignat, idcircò intrà corpus assumpta horrenda invehit symptomata.

Curatio: Conferunt hîc potus lactis, aqua mulsa, oleum amygd. dulc. juscula pinguia, decoctum viscidum ex seminibus alth. malo. lini, psyllii, fœnugr. item

item antidota illa, quæ valent contrà cantharidum noxam. *Sandaracha.*

Sextum meretur locum sandaracha, quæ duplex est, alia enim dicitur sandaracha Arabum seu gummi juniperinum, de qua hîc non agitur: alia sandaracha Græcorum, de qua nunc mentio fit. Nonnulli sandaracham Græcorum & auripigmentũ pro uno eodemq; habent, ast hi in errore versantur, quoniam sandaracha in terris magis excocta reperitur, quàm auripigmentum.

Symptomata: Sandaracha Græc. suâ malignitate vitæ nostræ balsamo adeò infensa est, ut non modò intùs assumpta, sed extrinsecùs quoque adhibita ingentia symptomata inducat: qualia sunt convulsiones manuum ac pedum, stupiditates, sudores frigidi, palpitationes, animi deliquia, vomitiones, corrosiones, sitis ingens ac æstus.

Curatio: Tali in casu subitò injiciantur clysteres emollientes, quibus injectis propinentur cathartica lenientia: post hæc conveniunt juscula pinguia, aqua mulsa, potus lactis, decocta viscida ex semin. alth. malo: lini; psyllii, fœnugr: confert quoque lac acetosum vinum gra-

granatorum, succus malorum acidorum, berberum & trifolii acetosi: postremò urina asini, aut fel capreoli cum aqua calida adhiberi potest. Possunt etiam hic applicari antidota, quæ cantharidum noxis curandis conferre scripsimus.

Gypsum.

SEptimum locum impetravit gypsum, quod venenum est satis lethiferum: Hujus enim pernitiosa qualitas non multum dissimilis est noxiæ qualitati cerussæ, imò graviorem esse existimamus, quod majorem spirand idifficultatem invehat.

Symptomata cum *diagnosi*: Gypsum ab aliquo sumptum dignosces, si labia alba ac mortificata appareant: si alvus adstricta sit, & summa ventriculi frigiditas sentiatur.

Curatio: Ad hunc corporis hostem expellendum valet origanum cum passo aut oxymelite, aut hydromelite potum: decoctum caricarum, uti & lixivium è ficulneo vel sarmentitio cinere cum vino paratum magnum huic malo subsidium adfert: valet quòque murium stercus cum vino sumptum, quod proprium est hujus veneni alexipharma-

macum: aqua tepida cum butyro bibita & per vomitionē rejecta multū prodest: item mithridatiū cum meraco post vomitionem sumptum huic venenomedela est. Conferunt & ea, quæ Cerussæ & fungorum noxas tollendas valent.

Alumen.

OCtavum locum venenorum mineralium elegit alumen: cujus variæ species in officinis extant, 1. rupeum. 2. plumosum. 3. scissile. 4. saccharinum. 5. alumen catinum. Hîc agitur potissimùm de rupeo.

Symptomata: Quanquam Empirici alumini universalem virtutē passim febres fugandi attribuunt, & Medicorum nonnulli curandi dysenteriā. Nos tamē tantam fidem illi nequaquam adhibemus: siquidē in quantitate parū excessiva si assumatur, vehementem tussim excitat, & nisi maturè obstetur, generat phthisin.

Curatio: Contrà hoc usurpanda sunt lenientia, humectantia & detergentia bechica: lac asininum vel caprinum recens mulctum quovis die hauriendum: sæpè sæpiùs deglutiendum butyrum recens: saccharum penidiatum, Candum, syr. viol. liquirit: Hyssop. &c. frequentissimè capiantur.

Scoria ferri aut ejus ferrugo.

NOnum locum habere voluit ſcoria ferri vel ejus ferrugo, quæ intra ſumpta tantam corpori ſiccitatem non ſtatim quidem, ſed temporis intervallo parit, ut penè maraſmum invehat.

Curatio: Scoriam ferri aſſumentis corpus humectandum tum balneis, tum frequentibus clyſteribus ex decocto pedum & capitum hædorum vel hircorum paratis: quin etiam morbi initio, antequam tanta corpori ariditas fuerit inducta, vehementi cathartico materia per alvum foras excludenda, & à purgatione lac aut juſcula pinguia frequentiſſimè propinanda: poſteà detur ſuccus menthæ, vel terræ lemniæ ʒj. aut Corall. rubr. ℈iv. cum vino exhiberi poſſunt. Proprium ſcoriæ ferri magnes eſt, cujus pulveris ʒj. cum liquore idoneo capiatur: hic enim omnes ſquamas ſegregatas congregat.

Scoria æris.

DEcimum locum adepta eſt ſcoria æris: quæ ſi aſſumatur, aut vomitus immodicus, aut alvi profluvium ſuboritur unà cum dolore ventriculi ac inteſtinorum punctione.

Cu-

Curatio : Hîc opus est clysteribus humectantibus, jusculis pinguibus & lacte recenter mulcto. Succus auri ad ℨiij. cum vino capiendus, qui proprium scoriæ æris est antidotum.

Argentum vivum seu Mercurius

UNdecimum classis tertiæ locum consecutus est Mercurius, ex quo assumpto symptomata horrenda suboriuntur. Utpote fœtor oris, difficilis anhelitus, totius corporis inflatio, urinæ suppressio, & omnia membra flaccida ac velut paralytica redduntur: Quin etiam sanguis, spiritus vitales ac ipsa denique cordis substantia congelatur, & nisi per intestina descenderit, egressusque fuerit, epilepsia, imò apoplexia eundem in corpore retentum sequitur, cui tandem interitus ipse succedit.

Curatio : Argentum vivum, cùm grave sit ac ponderosum, ideo haud difficulter clysteribus educi potest: præter clysteres laborandum de ejus exclusione iis remediis, quæ contra venena à proprietate substantiæ valent, non neglectis interim symptomatis, quæ ab eo hausto suboriri solent: Myrrha cum vino veteri vel absynthiaco vel hydrome-

lite, vel decocto rutæ pota proprium argenti vivi est antidotum, uti & aurum in alcool redactum : confert quoque ol. amygd. dulc. & amarum : Lac bubulum cum suo cremore potum. Non mediocre etiam auxilium præbet crystallus, cujus pulvis ad ℈ij. vel ʒj. cum oleo amygd. dulc. commodè adhiberi potest.

Argentum vivum extinctum, sublimatum & præcipitatum.

DUodecimum locum ingrediuntur argentum vivum extinctum, sublimatum & præcipitatũ : horum omnium pernitiosissimum habetur sublimatum; hoc maximè nocivum existit : minùs præcipitatum noxam adhuc minorem infert extinctum scilicet salivâ aliòve liquore.

Symptomata, quæ ab hisce assumptis oriuntur, ita terribilia sunt, ut vix sufficienter explicari queant : epoto namque sublimato illicò lingua ac fauces exasperantur, haud secùs, ac si quis sorborum immaturorum succum hausisset, qualis asperitas difficulter, & non nisi longo temporis intervallo gargarismis tolli potest. Ubi in ventriculum descenderit, ei pertinaciter adhæret, unde ero-

sio

sio illius ac exulceratio statim consequitur. Sitis inexplebilis nec non angustia inexplicabilis inducitur. Præterea linguæ tumor, urinæ suppressio, difficultas anhelitûs, animi deliquium, ventriculi ac intestinornm tormina cum tanta erosione oriuntur, ut nisi subitò succurratur, perire debeant affecti erosis perforatisque ventriculo & intestinis.

Curatio: Expelluntur hæc venena vomitibus, clysteribus, jusculis pinguibus, & potu lactis bubuli cum cremore suo per vomitionem rejectô. Præcipitato expellendo debentur ea, quæ ad canthariides assumptas valent.

Arsenicum album.

DEcimum tertium locum inter venena mineralia nactum est Arsenicum album, quod præter summam acrimoniam tanta malignitate vitæ nostræ balsamo infestum est, ut non modò intùs assumptum, sed & extrinsecùs admotum horrenda symptomata introducat, qualia sunt convulsiones manuum ac pedum, cordis palpitationes, animi deliquia, corrosiones, faucium asperitas, terribilis ventriculi & intestinorum cruciatus, tussis, & summa spirandi difficultas.

Cu-

Curatio : Vomendum hîc frequenter poto semper priùs butyro , aut per se tantum, aut addito seminis rapi decocto; sorbeantur juscula pinguia, capiatur sæpe oleum amygdal. dulc. cum jure gallinarum pingui : clysteres injiciantur ex pingui jure, cremore hordei & alicæ, vel ex mucagine sem. lini, fœnugr. cydonior. psyllii & rad. alth. parati. Hisce præstitis crystalli fossilis ʒj. danda est cum oleo amygd. dulc. siquidem ille ex proprietate specifica arsenico albo repugnat.

Risagallum seu Arsenicum Citrinum.

DEcimum quartum locum sibi attribuit Risagallum seu arsenicum citrinum, quod & auripigmentum dicitur. Hoc intra corpus sumptum tantam sitim, exæstuationem, corporis exsiccationem, omnisque humiditatis consumptionem inducit, ut inde nervi contrahantur, quam contractionem mors statim subsequitur.

Curatio : Propinandum frequenter lac asininum, ex quo etiam clysteres parati injiciendi. Sumendum hepar hirci, extinguatur sitis julebo violaceo , vel ptisanâ hordeaceâ : exhibendum est oleum nu-

nucleor. pineor. vel ol. nucum juglandium ad ℔ß. siquidem hæc duo specificè risagallo repugnant. Tandem corpus illinendum est oleo amygdal. dulcium.

Ærugo.

DEcimum quintum locum occupare debet ærugo seu rubigo æris, quæ non parum exitiosa existit, si diutius moram in corpore habuerit: Quandoquidem hæc assumpta parit nauseam, ventriculum subvertit, eumque unà cum intestinis erodit.

Curatio: Noxis ab ærugine illatis subvenitur crebris vomitoriis aquâ tepidâ excitatis, & lacte frequenter hausto: injiciendo clysteres ex lacte asinino & oleo amygdal. dulc. paratos. Propria æruginis antidota sunt terra sigillata & corallia rubra, quorum ʒiß. cum vino calido: terræ verò sigillatæ ʒj. pro dosi exhibenda.

Aqua separationis auri.

DEcimum sextum venenorum mineralium locum acquisivit aqua separationis auri, quæ eadem, imò majora & multò vehementiora symptomata invehit, quàm arsenicum, eò quòd in momento in universum corpus dif-

fun-

fundatur, & in partibus, quas transit, vesicas albas excitet.

Curatio: Majora licet hujus materiæ acerrimæ sint symptomata, quàm arsenici, nihilominùs eandem curam postulat.

Lixivium Saponis

DEcimum septimum locum exigit lixivium saphonis, quod ob acrimoniam suam venenosum existit: illud enim haustum sat grandia symptomata infert, eò quod celeriter quoque in corporis partes diffundatur, quas vesiculis replet.

Curatio: Remedia sublimato congrua hîc locum habeant.

Cobaltum.

DEcimum octavum locum sibi arripit Cobaltum seu Cadmia fossilis, quod venenum sanè deterrimum omnibusque viventibus infensissimum existit: siquidem cum polleat vi causticâ & erodendi tantâ, ut fossorum manus & pedes exulceret, quin omnibus illud assumentibus vitæ pernitiem adferre possit, non dubitamus.

Curatio: Hoc venenum expellitur iis reme-

remediis, quibus arsenicum expellendum annotavimus.

Calcitis, Misy & Sory.

DEcimum nonum locum desiderârunt Cobaltum, Misy & Sory: hæc cùm adurendi & escharas efficiendi vim habeant, inter venena pessima collocari debent.

Curatio: Hæc tria cùm qualitatibus ab Arsenico non multum discrepent, ideo eandem curam exigunt.



CLASSIS QUARTA.

De Venenis foris ac extrinsecùs vires suas venenosas in corpus exerentibus.

VEnenorum, quæ non epota, neque in cibis sumpta, neque intus genita, sed foris quocunque modo venefícam corpori nostro noxam inferunt, varia dantur genera: alia enim contagione quadam, qualis est aër, vel aqua qualicunq; putredinis specie infecta ac coinquinata, unde infiniti penè affectus contagiosi excitantur: alia morsu, quale illud est, quod à cane rabido infligitur: alia ictu sive puncturâ, quale est id, quod scor-

ſcorpionis, aut muris aranei, ſimiliumvè animalium aculeus infert: alia vulnere, qualia ſunt, quæ gladius, vel ſagitta intoxicata incutiunt: alia ſuffitu, vel inunctione, qualis eſt litus aut ſuffitus ex hydrargyro: alia odoribus, alia ſolâ umbrâ, ut taxi umbra: alia viſu, ut baſiliſcus: alia faſcinationibus ac præſtigiis. De quibus omnibus ſigillatim agendũ: prætermiſſis interim venenis, quæ per contagium corpori humano perniciem adferunt, quòd ea integrum volumen ad exactam ſuî curationem deducendam exigant.



CAPUT IX.

Curatio univerſalis morsûs vel ictûs animalium venenatorum.

NUllum eſt animantium venenatarum genus, ne homo quidem ipſe, cujus morſus vel ictus non ſit venenaræ, neſcio cujus, qualitatis particeps, hic magis, ille verò minùs: nimirum pro diſſimili natura ac craſi earum animantium, à quibus morſus vel ictus infligitur. Quæ enim ex craſi propria venefica ſunt,

sunt, morsum magis pernitiosum aut ictum inferunt, quàm illa, quæ naturâ suâ nihil saltem manifestò patentis veneni insitum habent: proinde morsus aut ictus viperarum, aspidum, serpentum, bufonum, scorpionum magis exitiosi: minùs verò pernitiosi existunt, quos equus, simia, canis non rabidus, felis non rabida & cætera hujuscemodi animalia non venenata incutiunt. Quanquam horum etiam morsibus nescio quid venenati subesse inde conjicimus, quòd & vehementiùs doleant, ac difficiliùs curentur, quàm aliud quodcunq; vulneris genus aliunde illatum; forsitan quod in horum animantium muco, aut saliva maligna nostræque naturæ contraria qualitas hæreat, aut delitescat, quæ vulneri pravam diathesin inducit, unde illud magis dolorificum, remediisque minùs obsequens redditur. Eandem fermè diathesin agnoscas in vulneribus, puncturis, ulcusculis, quæ eadem animalia utpote leones, feles, canes, simiæ &c suis unguibus, uncis ac rostris infligunt: Neque verò istius malignæ qualitatis hominum morsus omnino expers est, eorum potissimùm, qui rufi

H sunt,

ſunt, & maculas habent gricantes, flaveſcẽtes, & cervinis pilis ſimiles toto corpore conſperſas, maximè cùm irâ aut gravi quodã furore percelluntur: morſ⁹ enim, qui ab aliis hominibus diſſimili ab his craſi præditis, incutiuntur, nulli⁹ veneni participes eſſe, inde colligas, quòd ſua propria ſaliva jejuno ventriculo emiſſa, & ulcuſculis affricta, morſis feliciter medeatur. Quodſi vulnus aliquod morſu hominis non rufi inflictum contumax admodum nec uſque adeo facilè remediis obſequens occurrat, id non quòd venenatum, ſed quod contuſum ſit, illi accidit: quod nimirum à dentibus obtuſis & non acutis illatum ſit, quale propemodum vulnus ab ictibus lapidum aut ligneorum baculorum infligi ſolet. Quæ vulnera morſu animantium non venenatorum inferuntur, præter remedia, quæ cæteris debentur vulneribus, alexiteriis quoque tum aſſumendis, tum admovendis indigent. Quapropter per os ſumendum mithridatium, illudque foris partim emplaſtris, partim cataplaſmatis, partim etiam unguentis admiſcendum, quæ ad hujuſmodi vulnerum curationem uſurpantur, qualia mox deſcri-

ſcripturi ſumus. Vulnera autem, quæ vel morſu vel ictu venenatorum animantium incutiuntur, ut cæteris magis lethalia, ſic magis exquiſitâ ac diligenti curatione opus habent: Et quemadmodum animalia quæ mordent vel icunt, diverſorum ſunt generum, ſic etiam diverſa venenorum ab illis erumpentium pernities. Enim vero quæ ab aſpide, ceraſte, baſiliſco prodeunt venena, multo vehementiora ſunt, quàm quæ à vipera, aut ſcorpione: Quanquam venenorum malignitas in genere loquendo non modo ex animalium diverſa ſpecie, ſed ex multis cauſis metienda eſt. Nam quæ è vivis emittuntur animalibus, multo magis lethalia eſſe ſolent, quàm quæ à demortuis, quod in vivis calor inſit, qui illis in corp⁹ tranſmittendis inſervit pro vehiculo. Accedit & ſubſtantiæ tenuitas, quæ celeriorem veneni actionē efficit. Deinde ex eadem animalium ſpecie magis veneficæ ſunt fœminæ, quàm mares: juvenes quàm ſenes: adultæ quàm adoleſcentes: Quin etiam feræ omnes & inſecta in montibus & aridis locis vepres inter & ſaxa degentes citiùs hominem perdunt, quàm quæ paluſtria

 at-

atque humida loca inhabitant : Quæ Orientalem & Meridionalem plagam incolunt, citiùs enecant, quàm quæ ſeptentrionalem : famelicæ depaſtis nocentiores ſunt, & irritatæ venenoſiores, quàm dimiſſæ : quando ad venerem moventur, pernitioſiores ſunt, quàm alio tempore: quæ veſcuntur animalibus venenatis velut ſerpentes , qui bufones, viperæ quæ ſcorpiones, araneas devorant deteriores ſunt, quàm aliæ. In universum verò omnes ictus ac morſus magis exitiales ſunt æſtate, quàm hyeme : Hæ ergo cauſæ ſunt, cur citiùs vel tardiùs intereant demorſi : veneni nempe tenuitas aut craſſitudo : calor aut frigus : qualitas occulta aut manifeſta: quas inter corporis ſubjecti venenum excipientis diſpoſitio non poſtremas partes ſibi vendicat. Qui enim calidiores ſunt, venas & arterias habent majores, ac proinde meatus patentiores, hi icti aut demorſi multò citiùs ac promptiùs veneno inficiuntur (quòd venenũ cor citiſſimè penetret) quàm qui ſunt frigidiores, ſiquidem iſti venas ac arterias anguſtiores habent, nec non magis conſtrictas: hinc venenum non tam citò per-

permeat, indéque tardiùs intereunt. Jejuni etiam graviùs ac deteriùs se habent ab ictu, aut morsu venenato, quàm depasti, quod in his venæ alimento refertæ, vitalésque spiritus vegetiores facti, ferocienti veneno renituntur promptiùs, magisque resistunt.

Curatio morsûs & ictûs venenati: Occurrendum, quàm citissimè fieri poterit, ne venenum intro repat, admotis remediis attrahentibus ac foras illud ipsum evocantibus. Primo itaque abluantur partes morsæ vel ictæ urinâ aut aquâ salitâ, aut aceto acerrimo, aut vino, in quibus dissolvatur mithridatium, vel theriaca vetustissima, quâ mixturâ actu calidissimâ vulnus fovendum præcedente frictione satis asperâ, & desuper imbuta lintea admovenda. Neque vero (ut multis visum est) dubitandum, aut metuendum, ut theriaca venenum intro repellat: Ea ènim potiùs foras illud attrahit, ac evocat vi carnis viperinæ (quæ ejus basis potissima est) similitudine quâdam substantiæ quodcunque venenum ad se attrahentis. Accedit, quod multa alia medicamenta, è quibus theriaca conficitur, attracti à carne viperina

veneni virulentiam evincant, edoment, reprimant ac dissolvant. Loco theriacæ aut mithridatii alia quamplurima venenum evocandi & dissolvendi causâ admoveri poterunt : Quæ omnia calida sint, necesse est. Talia autem sunt allia, cepæ, porrum, ruta, scordium, dictamnus, centaurium minus, prassium, eruca, lac ficulneum, valeriana, zedoaria, imperatoria, vincetoxicum, hypericum, bistorta, tormentilla, angelica &c. cum vino & melle subacta. Præterea Card. benedict. rad. elleb. nigr. asphodel. dracuncul. irid. ari, enul. gladiol. cyclamin. bryon. raphan. item odellium, bitumen *Syriacum*, pix liquida, castoreum, caprarum montanarum fimus, euphorbium, sulphur urinæ admistum, sal, nitrum, fel taurinum, galbanum, sagapenum, sinapi, nasturtium, thlaspi &c. hæc omnia licet calida sint, conferunt tamen ad venenum calidum superandum : eo quod ejusdem substantiam dissolvant, exhauriant, & evaporare faciant. Interea tamen humoris vulnus foventis habenda simul ratio, ut etiam admisceantur, quæ humoris qualitatem alterent. Præter horum topicorum usum foras quo-

quoque venenum evocandum cucurbitulis magnâ flammâ & profundo ſcarificatu affixis, ſi natura & partis ſitus ferat. Præſtantiſſimum omnium in evocando veneno remedium eſt ſuctio, quæ fieri poteſt à tenuis fortunæ homine, eâ quidem cautione, ut iſte ulceris nihil in ore, gingivis, palato, lingua & gutture habeat, ne venenum ſuctum ulceri impreſſum ſugenti pernitiē adferat. Quin etiam antequam ſugat, vino, in quo theriaca aut mithridatium diſſolutum fuerit, os colluat multoties, poſtea oleo communi: illud deinde quod ſuxerit, citiſſimè exſpuat, ne quidpiam ſalivæ in ventriculum deſcendat: Alioquin qui alteri mederi volet, ſibi ipſi necem conſciſcet. *Su*ctionis vices ſubire poterunt hirudines, vel gallinarum quotidie ova parientium, vel gallinarum Indicarum ſedes, ſive poſteriora, quæ majore vi attrahendi pollent; ſed priuſquam admoveantur, plumis exuendæ ſedes, illiſque ſalis granum indendum, earum dein raſtrum occludendum, ut potentiùs attrahant: quod per intervalla recludendum, ne tam cito animam exhalent: quibus demortuis aliæ ſubſtituantur. Idem

 fermè

fermè præstabit genus animalium quadrupedum juvenum & tenellorum, per medium dissectorum & adhuc palpitantium, scarificatis venenatis morsibus admotorum. Quæ animalia ibidem tamdiu relinquenda, donec refrigerata fuerint. Refrigeratis alia denuo substituenda erunt, idque tamdiu continuandum, donec universa vis veneni extracta fuerit: cujus rei indicium certum esse scias, si gallina sede suâ applicata moriatur. Præterea vulneri cauterium commodè applicari potest: id autem applicandum, antequam venenum intrò ad partes nobiles pervaserit: alioquin nullum exinde fructum consecuturum scias: illud etiã potiùs actuale sit, quàm potentiale, quoniam ignis actio veneni virus promptiùs absumit, vulnus ampliat & diducit, apertumque diutiùs servat. Quodsi autem metus sit ab ignito cauterio, potentiale applicetur, & procuretur ut crusta, quam citò fieri poterit, decidat, pateatque veneno exitus atque effluviũ. Ubi verò facta est eschara, ea scarificanda erit ad vivum usque, illinenda deinde butyro recenti & axungiâ, ut decidat, & toti vulneri, vicinisque partibus superponen-

ponendum emplastrum ex terebinthina, pice nigra, pice græca similibusq; gummi speciebus confectum. Ubi deciderit crusta, indendum vulneri unguentum basiliconis cum mercurio permixtum, ut virus foràs eliciatur, & ne vulnus occludatur, sed apertum diutissimè maneat. Quod inprimis hîc optandum, quo materiæ venenatæ facilior ac copiosior effluxus pateat. Quare frustulum aliquod spongiæ aut radicis gentianæ, aut hermodactylorum, illitum unguento Ægyptiaco, aut conspersum pulvere Mercurii, aluminis usti, vel pulvere cauteriorum, aliove unguento acri, inserendum cavo vulneri admiscendo semper aliquantulum mithridatii vel theriaces, vel succi hyperici, vel nepetæ, succorumve similium, qui vim habent attrahendi & absumendi venenũ, ulcusque detergendi. Quodsi vulnus comitentur calor, dolores & sensûs acuitas, unde sæpènumero humiditas non potest non effervescere, & putredo, corruptio ac tandem necrosis parti læsæ inducitur; dimissa ad tempus venenati vulneris curatione, occurrendum erit sævienti symptomati. Dum vulneri

hæc adfertur medela, nullum vulnerato catharticum propinandum, nilque ſanguinis detrahendum, uſque dum tres quatuorve dies præteriêrint, ſed pugnandum ſolummodò cardiacis alexipharmacis, ut mithridatio, theriacâ, aquâ ſtillatitiâ ſtercoris humani, aq. cinam. aq. theriacali, lapide bezoar, terrâ meliteâ, conſervâ flor. tunicæ, ſuccis borrag. bugl. malor. citrior. per os aſſumptis, quibus non ſolùm partibus principibus adverſus venenum robur addatur, ſed & vires ejus frangantur, evincantur & ſuperentur, eique aditus ad cor prohibeatur. Sumenda autem ſunt alexipharmaca majore quantitate, quàm venenum ſit, ut vim illius infringant: bis etiam in die & tamdiu capienda, donec virus veneni repreſſum, impetuſque ſymptomatum ſedatus appareat.



CAPUT X.

Venena & ſigna canis rabidi morſiq; ab eo hominis cum curatione.

Etſi pleraque animalia rabie corripiantur, ut vulpes, muſtelæ, viverræ, mar-

martes, feles, ſimiæ, equi, muli: Nullum tamen animantium genus eſt, quod aut frequentiùs, aut magis rabiei obnoxium ſit, quàm canis. Quod animal cùm calidum ſiccumque ſit, plus atræ bilis ex quacunque cauſa colligit: ſuccus enim atrabilarius rabiei unica & continens cauſa eſt; quoniam tale excrementum multis de cauſis in canibus coacervatur: tum quia eorum craſis huic colligendo eſt idonea, tum quia jejuni famiſque impatientiſſimi cibos quoſcunque & qualeſcunque devorant putres, vermiculoſos, carnes morticinarum ac eorum animalinm, quæ peſtilentia vel fulminis ictu, vel morſibus venenatis occubuerunt. Hauriunt præterea aquas putreſcentes, turbidas, cœnoſas, à quibus plurima atræ bilis colluvies in quovis animalium corpore ſuccreſcere conſuevit: Cujus rei veritas elucet, quòd canes duobus maximè anni temporibus rabie corripi ſoleant, æſtate ſcilicet & hyeme: æſtate quidem, quòd illius temporis ferventiſſimo æſtu eorum ſanguis peruratur, indéque in atrabilarium degeneret: hyeme verò quòd is ſanguis per frigoris antiperiſtaſin calidior ac

au-

auctior factus excandeſcat & inflammetur ac tandem melancholicus evadat. Signa autem rabidi canis hæc ſunt : is aquam expaveſcit, quâ conſpectâ toto contremiſcit corpore, erectiſque capillis horreſcit : rubent oculi & inflammantur, obvium quemque torvis, fixis, horridiſque oculis intuetur, hàc atque illàc vagatur capite demiſſo, ore diducto multúmque patente, lingua nigricante ac livida, foras exporrecta, ſpuma ex ore fluente, multoque muco è naribus : incedit quoque ſolitarius, inſolenter curſitat, modò in dextrum, modò in ſiniſtrum latus velut temulentus ſæpiſſimè collabitur : ſi aliquod corpus ſolidú videat, ſeu arborem, ſeu parietem, aut aliud animal, illud temerè adoritur. Cæteri canes procul illum olfaciunt atque effugiunt : Nihilominùs ſi cuipiam cani obvius fiat, illi adulatur, blanditur, & ab ejus conſortio ſe furtim ſubducere conatur, etſi & proceritate & viribus corporis illo ſuperior ſit. Nulli cibo, nullique potui indulget, obmuteſcit, raucus fit, nemini oblatrat, aures geſtat pendulas, caudamq; inter coxas demiſſam; unumquemque obvium ſive fami-

liarem, sive incognitum morsu impetit, nec Domino quidem suo parcit, neminem agnoscit, ne domum quidem, in qua educatus fuit; quod nimirum vim sentientem mentemque ab atra bile plurimum perturbatam habeat. Eadem fermè symptomata sensûs ac mentis perturbatæ is patitur, qui à cane rabido demordetur. Primis autem diebus non sunt faciles conjecturæ, quibus dignoscas canem, qui momorderit, rabie laborasse, nisi signa prædicta canis rabidi sedulò perpendantur: Nam morsus canis rabidi non quidpiam molestum protinùs infligit, nisi dolorem in vulnere. Contrà fit in ictibus venenatis, ad quos & confestim sentitur dolor vehemens, & pars icta citissimè inflammatur, atque alia pernitiosissima suboriuntur symptomata.

Quam ob rem si dubia sit primis diebus morsûs à cane rabido facti suspicio, hæc ineunda conjecturæ ratio: Offeratur quibuscunq; canibus famelicis non rabidis frustillum panis sanguine aut sanie illitum emanante è vulnere à rabido cane inflicto: si canes projectum panis frustillum non mandant, nec olfaciant,

ciant, ſignum eſt canem eſſe rabidum. Vel fruſtum panis ſimiliter illitum, aut nuces juglandes contritæ & per noctem integram maceratæ in ſanguine aut ſanie vulneris canis morſu inflicti, ſi gallinis in eſcam exhibeantur, illæque ſequenti die intereant, certiſſimum canis rabidi eſto judicium. Interim tamen in ſigna cætera canis rabidi ſuperiùs expoſita diligentiſſimè inquirendum.

Morsûs verò canis rabidi neglecti & jam radices agere incipientis ſigna hæc ſunt: Demorſi præter morem cogitabundi fiunt, eaque mente revolvunt, quæ illis inſolita ſunt, peregrina & aliena: quia ſcilicet veneni vis in cerebrum repens, facultatem imaginatricem occupat: ſecum & intra ſe loquuntur & indies moroſiores evadunt. *Si* verò diutiùs ſibi relinquātur, nullis re mediis adjuti, iis frequentiùs nocte interrumpitur ſomnus, ſæpiúſque pavore expergiſcuntur: deinde hominum & domeſticorum conſortia vitant, & ferino quodam aſpectu ſecum ſubmurmurant: Solitudinem deligunt, lucem & ſplendentia omnia fugiunt: quandoque rubent facie, nec non partium extremarum nervi iis convel-

convelluntur. Speculum omniex parte aversantur. Postremò eò deducuntur misellì, ut aquam expavescant, quod potissimum mortis & inexpugnabilis veneni præbet indicium. Verùm enim verò qui hoc malum senserit (inquit Dioscorides) nunquam servari ac sanari poterit. Allata itaque in eorum conspectu àqua, cujus potu facilè sanarentur (si eam liberè haurire liceret) maximis clamoribus adstantes terrent. Si diutius in illorū conspectu aqua effunditur, tremunt, sudant, animo deficiunt, delirant, & tali concutiuntur pavore, ac si in ignem illicò se projiciendos cernerent. Hæc autē symptōata ideo accidūt, quòd melancholici effecti corruptis indéque infectis spiritibus animalibus miselli recusent aquam, qua sola, uti relatum, sanari possent: tanta enim oris ac linguæ ariditate æstuque tam vehementi cruciantur (ulla tamen absque bibendi cupiditate) ut aquæ potus usus que, si quid aliud, illis liberandis non modò utilis, verùm etiam necessarius sit, eosdem liberare posset. Quemadmodum docet Aëtius, cujus tempore Philosophus quidam hydrophobus factus, qui cùm in aquæ

aquæ frigidissimæ balneum conjiceretur, mox liberatus fuit. Ista autem totius corporis, linguæ ac oris ariditas illis inest à siccis vaporibus atrabilariis per universum corpus sparsis, qui illis quoq; febrim excitant: porro imaginantur se canes videre & audire: quin etiam allatrant, baubantur, & mordent more canum, non aliam ob causam, quàm quia virus rabidi canis humorum omnium & corporis totius principalium facultatum ac functionum imperium disturbavit, omnesque corporis dispositiones ex concepto per morsum veneno sibi similes reddidit. Quandoquidem si aquam conspiciant, aut se in speculo intueantur, imaginantur se cernere rabidi canis imaginem, cujus speciem recolentes protinùs ingenti terrore concutiuntur, quod illis accidit ob virulentos vapores, qui ab oculis effusi in aquam aut speculum reflectuntur ad oculos, unde illis hujusmodi spectra obversantur. Adhæc madent sudore frigido: Ab eorum vulnere (si sat magnum sit) emanat sanies spumosa, fœtida, virulenta, æruginosa, insignis putredinis, acrimoniæ ac corruptionis argumentum; urina sæpe-

ſæpenumerò ſupprimitur ob ſiccitatem totius corporis, eaque modò tenuis, modò craſſa apparet, in qua canum imagines cerni, aut fruſtula carnis canum ſpeciem referentia conſpici putârunt Arabes, penes quos fidem relinquimus. Poſtremò miſelli tot tamque crudelibus ſymptomatibus exagitati morbo tam violento malignæ naturæ victas tandem dare manus coguntur. Cujuſmodi tragœdiam in Cive quodam Marcodurano (cujus nomen reticeo) mecum permulti cum ſtupore ſpectârunt: Quandoquidem ille 2do Auguſti, 1697. à cane proprio in extrema digiti parte demorſus, morſum ſtatim habens ſuſpectum, timenſq; ſuæ valetudini, certum quendam conſulit, ſciſcitans, quid ſibi faciendum: monetur autem ſuadeturque, ut ne apprehendat aut ſibi imaginetur quidquã periculoſius ſibi à cane inflictũ eſſe: cui admonitioni ac conſilio uſque adeò ſolùm acquievit, ut omni medicinâ abſtineret: inhærebat autem profundis atque exoticis cogitationibus, à quibus nullatenus averti potuit: inſomnia habebat turbulenta, & triſti facie incedebat, donec tandem 40mo à morſu die

totus inquietari cœpit, vociferari ac lamentari: cujus mihi causam sciscitato lamentabili voce respondit, se maximas pectoris angustias sentire, & ob morsum canis imminere sibi mortem, seq; nullum potum ingerere posse. Ego autem talia percipiens eundem ad ahenum aquâ plenum duxi, in quam jussi immittere manum, seque eâdem aspergere: misellus hoc tentans, manumque imponens aquæ toto corpore contremuit, clamavitque sibi hoc factu impossibile esse. Præterea diversa liquidorum genera ipsi obtuli, quæ summo fastidio & animi horrore repudiavit, & licet ob linguæ ardorem ac summam faucium ariditatem ingenti siti naturaliter premi debuisset, nihilominùs potum ejusdem quasi viventem colubrum fugit, quem sibi rogabat ne ostendi quidem: Et mirum: dum speculum ante oculos ejus tenerem, pavidus ac toto corpore contremiscens aversabatur, obsecrans uxorem suam, ut illa capillos erectos teneret, aures verò non attingeret: dentibus tandem ringens, latratum canis imitando spumas continuò ejiciebat, minitanter adstantibus acclamans, fugite, aut

mor-

mordebo: dimissus tandem ab iis, à quibus tenebatur, versat se misellus & reversat per totum lectum impactis pedibus asseres discutiens, nolensque audire quidquam de aqua lustrali, ne facies eâdem aspergeretur, donec sub continua venenati sputi ejectione, Sacramentis quibus & quantum licuit præmunitus animam efflavit.

Venenum itaque quod in muco ac saliva canis rabidi hæret, calidum & siccum est malignum, virulentum, contagiosum: ob id mordendo suæ malignitatis ac pernitiei virus facile impertitur tam homini quàm alteri cuicunque animali, nisi primo quoq; tempore cautè prospiciatur: substantiæ enim maximè tenuis est, & promptissimè poros cutis subit, ac sese quoquo versum in corpus per continuum arteriarum motum insinuat: Nec verò canis rabidus solo morsu demorsos inficit, atque in rabiem agit, sed & quorum animantium nudam cutem suâ spumâ vel muco vel salivâ consperserit, & diutiùs membrum aliquod contigerit, non minùs lue rabidâ contaminat, quàm si demordisset. Quare fidelissimè admonemus illos, qui ca-

nes familiares ac domesticos habent; in deliciis, si ab illis demorsi fuerint, ut diligenter examinent, an rabidi sint? quatenus quàm citissimè fieri poterit, sibi prospiciant. Eâdem cautione opus est, ut salivam vel spumam vel mucum, si cutem attigerint, celerrimè detergeant, eamque madefactam urinâ vel aquâ salitâ abluant. Inprimis autem cuique cavendum à consortio & colloquio rabidorum hominum, nec eorundem reliquiæ ciborum comedendæ. Scribit enim Dioscorides, Themisonem Medicum cum amico aquam expavescenti morem gereret, & officium Medici exhiberet, quâdam naturarum concordiâ similem contraxisse affectum. Porrò morsus venenati canis rabidi non eodem tempore omnes ex æquo deducit in pernitiem, sed hunc celeriùs, illum verò tardiùs enecat: nimirum pro veneni majori aut minori virulentia, cœli vigentis dispositione, natura, viribus ac crasi animantis demorsi, situ ac compositione partis demorsæ, morsûs magnitudine, puritate aut impuritate corporis demorsi: ex quibus omnibus metienda symptomatum conditio ac rabiei vis.

Non-

Nonnulli enim à cane rabido demorsi ad 40. dies, alii ad sex menses, alii ad annum integrum perdurant: Multi fiunt primò epileptici, deinde dæmoniaci, qui tandem rabidi evadunt. Qui jam hydropici evaserunt, moriuntur incurabiles. Spes tamen aliqua affulget (Authore Avic) si quis à cane rabido demorsus aquam timens, speculum aliquamdiu inspicere, & se ipsum in illo agnoscere possit: hoc enim indicat vim veneni universum corpus nondum occupasse, neque cerebri facultates, quia rationatrix quodammodo in tali illæsa manet. Quodsi rabidus corpus suum in terram more canum provolvit, mortis imminentis præsagium est: virus enim rabidi totum corpus occupasse indicatur. Magna & insignia vulnera morsu canum rabidorum inflicta atq; ampliata minus lethalia existunt, quàm parva, quia ab insigni vulnere multum sanguinis ac saniei effluit, quo virus rabidum expurgatur. Ictus venenatorum animantium licet non tam crudelia symptomata invehant, quàm rabidorum canum morsus, citiùs tamen interimunt, quòd eorum venenata qualitas omninò dissimilis sit.

Curatio: Si quis ergò se à cane rabido his confirmatus indiciis, quæ hactenus explicavimus, demorsum esse judicet, Medicum ac Chirurgum statim accersat: & si neutrius præsentiâ gaudere possit, curet ipsemet, ut primo quoque tempore absque morâ quovis modo atque arte virus rabidum educatur cucurbitulis, corniculis, hirudinibus, scarificatu, volatilium applicationibus, medicamentis denique attrahentibus. *Si* vulnus insigne fuerit, plurimus ab eo sanguis eliciendus, ut unà cum sanguine venenum effluat. Si exiguum & vix effatu dignum, scarificandum, aut admovenda pyrotica actualia, nimirum ignis: cujus si terror sit, indendum ejus vice sublimatum, admistis quibusdam refrigerantibus, ut minus doloris inferat; vel cauterium aliquod potentiale: crusta ut decidat, procurandum, illito butyro permista: ubi deciderit, inspergendus pulvis mercurii in vulnus, præstantissimum, si quod aliud, medicamentum: hic enim pulvis præterquàm quod vulnus occludi prohibet, attrahit etiam ex alto ad superficiem venenum: idem pulvis poterit aliquo unguento excipi

&

& vulneri admoveri: præter hæc vulnus diductum diutissimè apertum servandum est, saltem ad 40. dies, aut etiam diutius: cui quoque admoveri non abs re fuerit acetosam tusam, ejusque jusculum quotidiè sorbere quod singulare adfert hoc in casu præsidium: vel abluendum vulnus urinâ cum satis aspera frictione, & linteum conduplicatum in eadem urina maceratum apponendum: vel sinapidio in urina aut in aceto acerrimo dissoluto illinendum: Item acria omnia ac vehementer attrahentia hîc usurpanda sunt. Morsui etiam admoveri potest eruca elixa unà cum butyro & sale contusa: vel paretur cataplasma ex farina orobi, melle, sale & aceto, calidumque vulneri admoveatur. Vel applicetur stercus caprinum in aceto acerrimo decoctum; vel sulphur subtilissimè pulverisatum & salivâ jejuni hominis sani exceptum: vel imponatur pix nigra liquata & cum sale ac pauco euphorbio permista; vel indantur vulneri pili ipsiusmet canis rabidi: hi enim soli similitudine quâdam vim habent attrahendi venenum non aliter, quàm scorpio tritus, ictui applicatus,

eundem quem percussit sanat: vel apponatur morsui triticum crudum dentibus attritum: prosunt etiam fabæ sub cineribus calefactæ per medium sectæ morsui applicatæ: omnium excellentissimum remedium est theriaca in aqua vitæ dissoluta, liciniis illita, vulnerique admota, cui superponendum allium contusum, vel cera cum melle & terebinthina subacta: vel coquatur oxylapathum in vino, & conquassatum admoveatur vulneri, idque decocto vulnus foveatur vel conficiatur cataplasma ex cepa, foliis rutæ cum sale tritis simulq; commistis, quod vulneri priùs abluto applicandum.

Initio morbi nec catharticum instituendum, nec sanguis mittendus: Hæc namque remedia à circumferentiis ad centrum trahunt, quòd hic maximè fugiendum: alioquin in mortis discrimen conjicietur æger.

Utendum tamen utroque præsidii genere, ubi diuturnitate temporis venenum vires in corpore acquisivit. Intereà pugnandum alexipharmacis ut allio cum pauco vino, jejuno ventriculo epoto, cujus ope veneno aditus ad

par-

partes nobiles prohibeatur : vel capiatur pulvis cancrorum fluviatilium ustorum cum vino : vel præparetur pulvis ex rad. gentian. ʒij. Cancror. fluviatil: in clibano ustor. ʒiij terr. sigill. ℥ß. cujus dosis sit ʒj. cum aqua decoctionis cancrorum fluviatilium: hoc remedii genus ad 40. dies singulis horis matutinis jejuno ventriculo usurpandum. Ad idem confert aqua stillatitia luti humani; decoctum rad. oxylapathi, 40. diebus potum : item pulvis rad. vincetoxici ad ʒiß. cum decocto Card. benedict. 40. diebus exhibitus singulariter conducit. Nonnulli felici successu totum corpus per plures dies mari immergunt: cui remedio non usque adeò fidendum.

Curatio Hydrophobiæ: Unicum hujus affectus remedium statuit Celsus: non opinantem scilicet hydrophobum, in piscinam aut aquam non prævisam præcipitare si, careat scientia natandi, oportebit mersum modò parum attollere, modò totum cum capite immergere; si sit natandi peritus etiam interdum deprimendus, ut invitus aquâ satietur: sic enim sitis & aquæ metus tollitur. Si convulsio ab aqua frigida superveniat, à

piſcina protinus in oleum calidum æger dimittendus erit. Medicamenta purgantia hydrophobo convenietia ſunt decoctum ellebori albi & nigri, epythimi, fumar: folior: ſenn. myrobalanor. agaric. cent. min. geniſt. poterunt etiam adhiberi medicamenta ex antimonio parata, confectio Hamech, hiera diacolocynthidos, lapis armenus, coagulum leporis, vulpis & capreoli: præ cæteris omni ſtudio conandum, ut aquam bibant hydrophobi. Aſt ne ipſam intuentes pavor invadat, longiſſimis, tenuibuſque metallicis fiſtulis è longinquo ducenda erit: hâc enim ſolâ ſervari poſſunt. Coagulum catuli (Authore Aëtio) cum aceto potum aquæ bibendæ cupiditatem hydrophobo parit vel decoctum nigrorum cicerum, quod quia nigrum eſt, non à pavore ſolùm præſervat, ſed & validè urinam provocat, quod hîc plurimùm optandum.

Victûs rationem quod attinet: hydrophobi paulò pleniùs vivant; quippe fames illis adverſiſſima eſt, ut & omnibus venenatis affectibus ac vulneribus. In morbi principio utantur cibis ſalitis, aromatizatis, acribus & concoctu diffi-

cili-

cilibus, ut alliis, cepis, porris, vino quoque meraco, ut horum ope occurratur veneno rabido, & ne illud ad partes nobiles serpat præcaveatur. Cibi sint lenti ac viscosi, qui vias patentes obstruant, impediantque, ne tam facilè venenum intrò serpat. Elapsis decem aut quindecim diebus hæc victûs ratio mutetur, cibique offerantur temperati & potiùs humidi, quàm sicci, quales conveniunt melancholicis: juscula parentur ex beta, brassica, radice cichorii, asparagi, & cæteris diureticis, quæ hoc in affectu plurimùm conferunt: Vinum sit oligophorum, vel ejus loco propinandum oxymel, syrupus acetositatis citri, syr. limon. granat. Vescantur carnibus vitulinis, vervecinis, hœdinis, pullorum, cancris fluviatilibus. Alvus perpetuò laxa servanda. Insigne à quibusdam habetur remedium hepar canis rabidi totum & comestum. Somnus hîc omnino noxius.

Hæc sunt remedia hydrophoborum, quæ tamen inutilia futura sunt, si vis veneni jam omnes facultates obsederit: profutura autem, si mens non omnino depravata fuerit, sic enim apud Aëtium qui-

quidam Philoſophus balneo (quod agnoviſſe dicitur) curatus fuit : ſic Avic. ſcribit ſpem aliquam hydrophoborum ſupereſſe , ſi conſulentes ſpeculum ſe ipſos agnoſcant. Hydrophobia autem certo definitoque tempore poſt morſum canis rabidi non exoritur : ut plurimùm tamen ad 40mum uſque diem neglectis differri conſuevit. Poſt ſemeſtre etiam nonnullos invadit : quoſdam poſt ſeptennium, quod ex demorſorum craſi ac viribus dependet : Alii enim ſunt robuſti, alii debiles : alii anguſtos habent meatus, alii patentes : alii ſinceris, alii impuris humoribus ſunt referti , ex quo fit, ut in his poſterioribus citiùs, in illis prioribus ſeriùs hydrophobia exoriatur.

Curatio morsûs canis non rabidi.

Huic curando conferunt cataplaſmata ex amygdalis amaris, melle exceptis, vel ex piſce gobio : vel ex farina orobi in vino macerata : vel ex foliis cucumeris : vel ex bulbis cum melle & pipere trito permiſtis: vel ex plantagine. vel ex mentha : vel ex urtica cum ſale: vel ex radice & foliis cynogloſſi cum axungia veteri ſuilla; vel ex foliis ebuli & ſambuci : vel

ex

ex cinere ſarmentitio: vel ex foliis marrubii tritis & cum axungia ſuilla miſtis: vel ex piliscanis exciſis, qui non momorderit.



CAPUT XI.

Remedia contra morſus ictuſque aliorum animalium in ſpecie.

VIperæ in gingivis ſuis inter dentes habent veſiculas quaſdam nervorum adinſtar, veneno plenas, quod ſuapte natura frigidum eſt, ut & reliquarum ſerpentum: mas viperarum duas habet hujuſmodi veſiculas, fœmina verò quatuor, ut ex morſibus ictibuſque perpeſſi licet colligere. Perículoſiores autem in viperarum genere ſunt fœminarum, quàm maſculorum morſus: magnarum, quàm parvarum: juvenum, quàm ſeniorum: adultarum, quàm adoleſcentum: famelicarum, quàm ſatiatarum: iratarum, quàm manſuetarum: montanarum, quàm paluſtrium; æſtate quàm autumno. Nec verò ex ſolis veſiculis ſuis viperæ emittunt venenum, ſed & è cauda

da ſua, quâ pungunt, uti & ex ſputo ſuo, & felle cùm occiduntur.

Symptomata autem, quæ morſum aut ictum viperæ ſequuntur, ſunt hæc: dolor vehemens in parte demorsâ punctorius ac lancinans, ejuſdem partis tumor aut inflatio primùm, deinde totius corporis, niſi citiſſimè occurratur. Manat è vulnere ſanguis, quem ſanies ſanguinolenta primò, dein citrina aut viridis, aut oleoſa aut pinguedini ſimilis conſequitur: in cute circa vulnus excitantur veſiculæ, vel bullæ ſeu tumores vacui, perinde ac ſi corpus igne ambuſtum eſſet: caro, quæ ulcus circumdat, tumet plurimùm, rubet interdum, túmque palàm liveſcit ac livet. Ulcus corrodit ac depopulatur carnem ambientem: quin etiam in toto corpore velut quoddam ſentitur incendium, ſiccitas atque ariditas maxima percipitur, ſitiſque penè implacabilis urget: vertigo capitis, lumborum dolor, color corporis lividus: poſtremò extremarum partium frigus, ſudor frigidus, ſyncope, ſingultus frequens, vomitus citrinus, æruginoſus: quæ omnia convulſio tandem ac mors conſequitur.

Cu-

Curatio: Occurrendum statim serpenti veneno : ob id pars demorsa comprimenda, ut ab ea unà cum sanguine venenum expellatur, illudque attrahendum sugendo, cucurbitulis, hirudinibus, scarificationibus : vulneri admovendum emplastrum attrahens : litus quoque cum satis aspera frictione ex theriaca aut mithridatio in aqua vitæ dissoluto: Etiam vipera excoriata, resciſſis capite & caudâ, interioribusque exemptis, & anguillarum more cocta, & à demorsis devorata maximum illis præsidium adfert. Succus quoque fraxini ex contusis foliis vulneri instillandus : vel admoveantur folia millefolii contusa : vel tenella lauri folia cocta & oleo subacta vulneri admoveantur. Per os verò sumenda sunt calida, nulloque modo frigida, siquidem hæc calorem veneni congregant & naturalem debilitant : illa verò venenum subtiliant ac resolvunt: qualia sunt theriaca cum vino generoso, allium, sinapi, asa fœtida, pyrethrũ, myrrha, gentiana, angelica, aristolochia, squilla, acorus, asarum, ruta, vinum meracum, cancri fluviatiles, sanguis testudinum exsiccatus & cum cumino

mino in vino aſſumptus: Hæc omnia ad viperarum morſum vel ictum ſummopere valent.

Morſus aſpidis.

VUlnus, quod ab aſpide mordente infligitur, velut punctura acûs apparet: binum quidem ex maris morſu, ex femellæ verò quatuor citra magnum dolorem, & ullum tumorem, & à quo nil effluit, niſi violentum animal ſit, quod morſum intulit.

Symptomata aſpidis morſui ſupervenientia ſunt pallor, ſtupor, frontis refrigeratio, hiatus aſſidui, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis gravitas, ſegnities, profundum in ſomnum propenſio, tandem convulſio indeque mors intra ſex aut octo horas conſequitur.

Curatio: Quoniam aſpidis venenum congelat ſanguinem in venis ac arteriis, demorſo ab aſpide propinanda ſunt calefacientia tenuis ſubſtantiæ, qualis eſt aqua vitæ, in qua theriaca diſſolvatur: quæ itidem commodè in vulnus infundi poterit: demorſus quoque exercitio, deambulatione, frictionibus, balneis, laconicis eſt valde excalefaciendus: loco demor-

demorso etiam poterunt admoveri cataplasmata ex centaurio & myrrha confecta: vel foveatur locus demorsus aquâ salsâ calidâ : vel imponatur illi cicerum farina cum hyperico decocta : Proficua etiam sunt folia malvæ cum porris & cepis : item farina sinapi cum aceto permista : Hyssopus cum sale & cumino tritus : radix angelicæ cum ruta : prosunt & folia stapisagriæ contusa & applicata. Quodsi locus demorsus nigrescat, aut purpurescat, aut livescat, vel fiat viridis, indicium erit nativi caloris pene extincti : tum pars amputanda, si natura ejus viréѕque ferant.

Morsus colubri & aliorum serpentum.

MOrsus colubri aliorumque serpentum curatio eadem quæ & viperini morsûs, nisi quòd majori diligentiâ celeriorique curâ ac remediis paulò validioribus opus sit, quòd nimirum vipera, quemadmodum scripsit Gal. *Lib. de theriaca ad Pisonem*, sit serpentum omnium minimè venenata ac lethalis.

Huic itaque morsui privatim conferunt inter topica cicerum farina cum hyperico cocta & admota : maluæ folia cum porris & cepis contusa morsui appli-

plicata: ſuccus betæ nigræ illitus: porri folia melle ſubacta & impoſita, uti & farina ſinapi cum aceto permiſta: Hyſſopus cum ſale & cumino trita & cum melle miſta vulneri illita: radix pœoniæ admota: item radices biſtortæ & tormentillæ adversùs hunc morſum valent: ſcabioſa quoque tuſa recenſque illita: angelicæ radix cum ruta impoſita prodeſt: centaurium minus cum myrrha & opii momento plagæ impoſitum juvat: item rumex contrita & cataplaſmatis modo adhibita.

Morſus bufonis.

ETſi bufones dentibus ac veſiculis venenatis careant, non deſinunt tamen veneno inficere partem eam, quam ſuis gingivis aſperis ac rudiuſculis apprehendunt, in quibus virus venenatum deliteſcit, quod in partem apprehenſam ejaculantur: ejaculantur quoque venenum per urinam, mucoſam ſalivam, & vomitum in herbas, ſuper quas repunt, potiſſimùm in fraga, quibus plurimùm delectantur: unde nemini mirum eſſe debet, ſi plurimi hauſto hujuſcemodi veneno intereant: uti ſuprà monuimus.

Symptomata ictûs aut morsûs bufonis:

Cor-

Corpus flavescit, totum intumescit, vertigo, syncope, aliaque invehuntur symptomata, quæ superiùs inter venena assumpta attulimus.

Curatio: Quoniam hoc licet frigidum ac humidum toto genere nostræ naturæ inimicum est, alexipharmacis potentibus contra illud omnino pugnandum: illis demum tum topicis, tum assumptis remediis, quæ ad rabiem recensuimus.

Ictus scorpionis.

SCorpio non ore, nec dentibus, sed caudâ suâ venenum emittit: nimirum per unum aut duos aculeos cavos, per quos pungit ac icit partem, & venenatum virus in vulnus ejaculatur.

Symptomata: Pars puncta tumet, inflammatur, dolet insigniter, rubet: ictus toto corpore rigescit, horrescit, sudat, modò frigescit, modò verò incalescit, variásque in seipso mutationes ac punctiones diversis in partibus sentit, ac patitur: flatibus tumet venter & anus: syncope frequens: febris continua, totius corporis tumor, tandémque mors sequitur, nisi occurratur.

Curatio: Ictûs hujusce proprium ac singulare alexiterium est scorpio con-

tuſus admotus: aut oleum ſcorpionum punctura illitum: Horum loco inſtilletur in vulnus lac ficulneum, vel calamentum piſtum apponatur, vel farina hordei commiſta decocto rutæ: neque abs re erit punctum in balneum calidum demittere, ut inde ſudor eliciatur: quo elicito dolor promptiſſimè ſedatur. Conveniunt etiam cochleæ contuſæ & vulneri admotæ: vel ſulphur pulveratum terebinthinâ exceptum: vel herba ſcorpioides contuſa ictoque loco applicata: vel radix bryoniæ elixa, contuſa deinde & cum ſulphure permiſta confert; utiliter etiam adhibetur allium tritum & cum ſulphure ac oleo veteri permiſtum: item fotus ex decocto agarici: vel terreni vermes triti: vel cancri fluviatiles triti: vel porri folia melle ſubacta & appoſita proſunt.

Fugantur autem ſcorpiones è domibus aut ſuis receptaculis ſuffitu ſulphuris vel galbani: Illorum verò puncturam vitabis, ſi te ipſum ſucco raphani aut allii illinas: hujuſmodi enim odore arcentur.

Ictus apum & Veſparum.

QUamvis veſparum ac apum punctura nemini unquam necem intu-

le-

lerit (nisi illæ in turba ac copioso agmine animal aliquod aggressæ fuerint) attamen tantum ac tam vehementem dolorem incutit, ut ei non minùs promptè sit occurrendum, quàm venenato ictui.

Symptomata : Apum & Vesparum puncturæ succedit dolor insignis, rubor, inflammatio circa puncturæ ambitum, cum vesiculis obortis instar ambustæ partis : reperitur autem aculeus seu stimulus, quem apes solent in puncto aut morso loco relinquere, qualem tamen vespæ non relinquunt.

Curatio : Locus punctus citissimè sugendus, ut aculeus aut dens infixus eliciatur : sin minus detergenda cutis, ut is promptiùs extrahatur : quod si natura partis id non patiatur, cataplasma ex fermento, cineribus & oleo simul mixtis parti admovendum : vel pars puncta in aquam calidam demittenda, eâdemque per semihoræ spatium fovenda, vulnus deinde aquâ salitâ abluendum : vel stercus bubulum in aceto & oleo dissolutum admoveatur calidum : fabæ dentibus contritæ apponantur : vel ipsæmet apes aut vespæ contusæ puncturæ affricentur : vel fricetur vulnus aceto, melle &

ſale ſimul mixtis, iiſque calentibus, & ſuperponatur linteum his imbutum: vel ſulphur vivum pulveratum ſalivâ exceptum admoveatur: lac item ficuum non maturarum melli admixtum: omnibus remediis ad apum & veſparum ictus aptis præcellit theriaca.

Fugantur apes ſuffitu ſulphuris & alliorum: horum puncturam arcebis, ſi corpus illinas ſucco maluæ admixto oleo.

Morſus Erucæ ſeu Campes.

ERucæ rufæ & villoſæ, multipedes aliàs appellatæ, pruritum vehementem, ruborem ac tumorem excitant in parte, quam mordent, aut cui affiguntur: aut cui colliſæ fuerint, maximè verò illæ, quæ in pinis educantur.

Curatio: Vulnerata pars illinatur oleo momordicæ, aut ſuperponatur ill cataplaſma ex cepa piſta & aceto confectũ: aut ex farina ſeſami & aceto: aut ex thymbra, meliſſophyllo & ſiſymbrio: Conferunt hîc quoque remedia, quæ contra apum & veſparum ictus valere diximus.

Punctura aranearum.

UT diverſa ſunt aranearum genera,

ita

ita diversum ab illis venenum puncturâ effunditur. Non enim ejusdem est malignitatis, sed hoc magis, illud verò minùs lethale existit.

Symptomata: Pars puncta stupet & refrigeratur primùm: deinde totum corpus eodem frigore ac stupore divexatur, atque indies ingravescit: Si cum potu sumatur, quemadmodum superiùs dictum est, guttur, collum, oculi & venter citissimè intumescunt: borborigmi in intestinis sentiuntur, frigent extrema, syncope & mors superveniunt, nisi occurratur.

Curatio: Pars puncta aceto calidissimo fovenda: eidem imponendum stercus caprinum in aceto frixum: vel allia & cepæ simul contusa superimponi poterunt: vel ruta, absynthium, calx, cineres contusa simul & aquâ calidâ excepta: sudor quavis arte provocandus sive balneo, sive laconico: potest quoque parti punctæ theriaca admoveri, eademque cum vino generoso commodissimè sumi: si per os sumpta fuerit, recurrendum ad ea remedia, quæ ad venena à tota substantia pertinent.

Morsus ictusvè Cantharidum.

CAntharides non tantum morsu aut ictu, sed & admotæ venenatæ sunt: hæ enim, quia ad 4tum usque gradum calidæ ac siccæ sunt, exurunt, exulcerant, corrodunt: nec solâ crasi venenatæ existunt, sed & ab occulto quodam odio quod illis inest in vesicam partesque urinæ dicatas.

Symptomata: si pungant cantharides aut admoveantur, vehemens incendium adferunt in vesica, ejus collo, cæterisque partibus urinæ dicatis: cui in iisdem partibus succedit dolor implacabilis, vomitus frequens, mictio assidua, etiam cruenta, alui dejectio penè continua, iniquietudo, totius corporis jactatio, febris, delirium.

Curatio: Citissimè lac satis largâ copiâ propinandum: ex eodem clysteres parati in alvum, & vesicam injiciendi: parandum balneum ex aqua temperatè calida, in qua semen lini, radices & folia malvæ bismalv. violar. hyoscyam. lactuc. portul. incocta fuerint: ab egressu balnei illinantur renes, lumbi, inguina, peryneum, imus venter cerato refrigerante Gal. ung. rosac. populem. additâ camphorâ.

Mor-

Morsus buprestis.

HUjus eadem penè ſymptomata ac curatio quæ & cantharidum: Hic ſi à bove aut homine devoretur tumorem totius corporis hydropico tumori ſimilem invehit.

Morſus muris aranei.

MUs araneus colore muſtelæ ſimilis, ſi quando mordeat, quadrifidum vulnus relinquit à quatuor dentibus quos habet, illatum.

Curatio: Huic confert erucæ ſemen tritum & impoſitum: item cuminum cum allio ſimul cum pellicula tuſo adhibitum: mus ipſe diſſectus impoſitus: valet & radix gentianæ impoſita.

Morſus tarantulæ.

TArantula pernitioſiſſimum araneæ genus: ab ea icti vel puncti diverſimodè torquentur: ſiquidem alii perpetuò canunt, alii rident, alii plorant, alii clamitant, alii dormiunt, alii vigilant, alii vomunt, nonnulli ſaltant, alii ſudant alii tremunt, quidam pavent, alii alia ſymptomata patiuntur, fiuntque phreneticis, lunaticis, ac maniacis ſimiles. Quæ quidem ſymptomata proveniunt ex vario horum animalium veneno, aut

ex demorſorum hominum craſi diverſâ: Magis commune ſymptoma eſt, quod icti ab hujuſmodi animalibus ſoporoſi fiunt.


Curatur morſus tarantularum remediis ad aranearum puncturas commemoratis: Muſicis quoque inſtrumentis & continuis tripudiis ac ſaltationibus ad laſſitudinem uſque. Id nôrunt Provinciales populi, apud quos magna eſt tarantularum turba.

Ictus Draconis marini.

DRaco marinus in cervice vel dorſi principio quinque aculeos habet, tenues, nigros, præacutos, tenui membranâ nigrâ connexos, quibus venenatum vulnus infligit. Propter caput ſuum, oculos, aculeoſque venenatos datum eſt illi Draconis nomen: hoc perniitioſi veneni genus experiuntur, qui piſces hujuſcemodi marinos præparant in cibaria piſcaria: hi enim ſæpenumerò, ſi in aculeos piſcis hujus impingant, vel manu vel digito, tam gravem puncturam ſentiunt, tamque graves cruciatus in parte læſa, ut niſi occurratur, gangræna illius partis ſuboriatur: puncturæ enim ſtatim ſuccedit partis inflammatio

tio, dolor insignis & tandem necrosis.

Curatio: Remedium hujus puncturæ præstantissimum est, ipsius draconis dissecti carnes vel cerebrum ipsi imponere: vel foliis lentisci partem punctam confricare. Quodsi punctura ab aculeis piscis demortui incussa sit, parandum primò cataplasma ex cepa sub cineribus cocta, fermento & theriaca, quod puncturæ admovendum: deinde continenda pars puncta in aqua calente quam diutissimè poterit, ut foras eliciatur venenum: post hoc scarificanda pars multis scarificatibus superficiariis, ipsisque hirudines affigendæ ad evocandum sanguinem veneno infectum: quibus peractis theriaca dissoluta in aqua vitæ admovenda.



CAPUT XII.

Curatio vulneris instrumento intoxicato illati.

SAgittæ, tela, gladius in conflictibus bellicis sæpenumero venenis, potissimùm calidis inficiuntur, quod à Veteribus factum historiæ referunt: hi enim cùm dimicarent, sagittas suas, enses, gladios napel-

napelli, aconiti, taxi, apii risus & similium simplicium succis, uti & risagallo, arsenico, aliisq; hujusmodi venenis imbuere solebant, ut hostibus suis lethalia vulnera inferre possent: quali vulnere interiit Sigeus apud virgilium 9. Æneid.

Symptomata talibus vulneribus supervenientia his se produnt signis: dolor adest ingens & implacabilis fermè incendium, rubor, tumor insignis: vulnus tandem livescit, pallescit & in gangrænam degenerat, nisi promptissimè succurratur: suboriuntur quoque plura alia symptomata, multò majora, quàm vulneris qualitas, conditio, partisque vulneratæ natura ac crasis ferat.

Curatio: Hîc laborandum statim, ut telum, sagitta vel quodcunque aliud, quod vulneri infixum hæret, evellatur evulso telo aut sagittâ vulneris ambitus profundè scarificetur, eidemque cucurbitulæ cum magnâ flammâ admovendæ sunt. Sugendum deinde vulnus, si sugi possit: emplastra quoque, cataplasmata, & unguenta attrahentia sedulò apponantur: eâ quidem cautione, ut illis frigida quædam superponantur, quibus incendium in vulnere à veneno excitatũ tempe-

peretur: alioquin veneni fervor ac furor magis excandeſcet, multóque deterius reddetur vulnus. Nec omittenda hîc cauteria, veſicatoria, & cætera hujuſmodi remedia, quæ ad venenorum calidorum foris corpori illatorum curationē attulimus: ſolēt enim venena, quibus inficiuntur ſagittæ, ut plurimùm eſſe potentiſſimè calida, ut ſcribit Celſus lib.9.Cap.15. de hiſtoria plantarum.

Ad globum ſclopetarium quod attinet, non omnia ejus vulnera venenata ſunt, ſed ea tântum quæ globulo venenis delibuto inferuntur: Non enim (ut placet nonnullis) ſi qua ſubſit venenoſitas ſeu venenata qualitas hujuſmodi vulneribus ſclopetariis, à pulvere tormentario dependet, ſed potius à globulis veneno imbutis ac intoxicatis: Illi autem intoxicantur non infundendo venenum in foramen aliquod datâ operâ factum, ut opinantur multi: ſed immergendis globulis & aliquoties extinguendis in aquis mercurialibus fœtidis & ſuccis quibuſdam lethiferis, ut aconiti, napelli, ſcyllæ, taxi, apii riſus & ſimilium ſimplicium, vel imponendis ſanguini venenatarum quarundam beſtiarum, quæ totâ ſub-

substantiâ sunt nobis adversariæ. Nam si ferrum ipsum & chalybs, quæ plumbo (ex quo globuli sclopetarii fiunt) multò densiora, solidiora, minusque porosa sunt, venenatam qualitatem recipiant, dubium nemini esse debet, quin plumbum diutiùs immersum & in succis venenatis maceratum multò faciliùs venenatam qualitatem admittat. Quòd autem ferrum & chalybs inficiantur veneno, testantur vulnera illa lethalia, quæ à telis aut sagittis, aut gladiis intoxicatis inferuntur. Quorum frequens usus erat apud veteres. Sic enim Virgilius lib. 9. Æneid.

Ungere tela manu, ferrumque armare veneno

& lib. 10.

Vulnera dirigere & calamos armare veneno.

PRæterea si ea est astutia quorundam veneficorum (velut supra recensuimus) ut possint venenatis quibusdã rebus arte paratis equorum sellas, ephippia, calcaria, & soleas ferreas inficere, à quibus insessorum universa membra corrumpantur & absumantur: si atramento aut papyro vis ea venefica imprimi possit, ut scribentes aut legentes veneno pol-


polluant aut etiam enecent: multò facilliùs plumbei globuli pestiferis ac venenatis mixtionibus macerati qualitatem venenatam possunt contrahere, illamq; eâ penetrandi tenuitate, quâ pollent, vulneratis partibus imprimere: quin etiam vapore suo maligno per venas, arterias & nervos infuso spiritus vitales animalesque inficere: Quare dubium nemini esse debet, quin vulnera propter plumbearum aut quarumvis aliarum glandium venenũ venenata esse queant.

Signa vulnerum hujuscemodi venenatorum: caro lividior, quàm vulgarium vulnerum, quæ à sclopetariis inferuntur, & tanquam emortua cum totius partis decoloratione, doloribusque extraordinariis atque implacabilibus: itemque cum inflammationibus & doloribus pungentibus, præsertim in vulnerum ambitu, cum gravedine & torpore totius corporis plerumque non sine febribus ardentibus, syncope & mentis perturbatione. Hæc omnia venenatam qualitatem indicant in vulnere sclopetario, præsertim si nulla adsit manifesta causa, propter quam tam gravia symptomata interveniant; porro inter certissima

ſima ſigna globuli conſideratio principatum tenet ſi fortè reperiri poſſit. Nam inciſus atque in duas partes diſſectus apparet obſcurus, violaceo & purpureo colore permixtus, alio denique quàm eo, quo reliqui globuli eſſe ſolent: partes verò poſt inciſuram rutilum quendum colorem habent. Præterea ſi globulus ad ignem violentum ac ferventiſſimum fundatur & liqueſiat, fumus ex illo exhalatur ater & fœtidus, metallum poſt fuſionem atrum, lividum, & obſcurum apparet: Quæ omnia certiſſimum ſignum adferunt veneni cum globulo permixti, ac proinde vulneris venenati ab eo illat:

Curatio: Quàm citiſſimè fieri poterit confugiendum ad ſalutare aliquod antidotum, quo venenum è vulnere evocetur, nec tam facilè corpus ſubeat: qualis eſt pulvis Mercurii unguento Ægypţiaco & terebinthina exceptus: priùs tamen oportet, ſi quid vulneri infixum ſit, extrahere, vulneris labra ſcarificare, cucurbitulas admovere, & cætera præſtare quæ ad venena calida tollenda conferre ſuprà diximus. Quæ omnia bis in die iteranda, iiſque tamdiu utendum, donec

donec graviora omnia symptomata desinere appareant: tunc enim vulnus tractandum acsi contusum foret: idque ad longum tempus prorogari poterit, usq; dum vitiosa materia effluxerit. Quando autem intervallo temporis eò res fuerit perducta, ut nullum ampliùs veneni periculum immineat, vulnus agglutinandum, & ad cicatricem perducendum. Quod si vulnus veneni mortifera qualitate mortis periculum adferat, neque remediis ullis vincatur, pars amputanda erit, si sectionem ferre possit.



CAPUT XIII.

Quædam additamenta.

CONvulsioni, quæ medicamento superpurganti supervenit, medendum est humano lacte ab ipsis uberibus exsucto; oleo amygdal.d. recenter expresso, nucleis pineis, pistaciis, nucibus Indicis, semine melopeponum, omnibus in mortario contusis & caponis jusculo colliquatis addito saccharo rosaceo: confert singulariter theriaca cœlestis: theriaca Androm. bol. arm. terr.

ſigill. aqua plantag. & talia ſimilia proficua ſunt: item ſuccus carnium elixarum aut aſſatarum præſertim caponum, phaſianorum expreſſus, & vitelli ovorum carnium juribus admiſti.

Aqua frigida, Vinum meracum, piſces refrigerati, carnes ſuffocatæ.

AQua frigida abundè pota præſertim à balneo, vel curſu, aliove vehementi exercitio dolorem & ſtrangulatū infert. Adversùs hæc mala valent piper, vinum generoſum, aqua cinnamomi, aqua vitæ pauco cinnamomo aromatizata.

Vinum meracum itidem epotum à balneo, curſu, exercitio vehementi inducit temulentiam, vigilias, & inſignem capitis dolorem. Hæc ſymptomata ſi acciderint, vomendum ſtatim, deinde ſuccus braſſicæ hauriendus, & acetum teſticulis admovendum.

Piſces ac carnes elixæ & adhuc ferventes aut calentes in locis humidis diutiùs aſſervatæ, & ſubinde frigidæ devoratæ eoſdem malos pariunt effectus, quos à maleficis fungis excitari diximꝰ. Licet quandoque non niſi duobus aut tri-

tribus diebus post noxa appareat. Tostæ etiam carnes venenatam subeunt naturam, si calidæ inter duas patinas suffocentur, linteisque obvolvantur, ne vapor exhalari possit. Eadem etiam mala inferunt carnes morticinæ esitatæ, uti & eorum animalium carnes, quæ à venenatis, aut à brutis rabidis demorsa, aut fulmine icta periêre: à talium namque esu sæpiùs coli dolor, inflammatio, anxietas, alvi profluvium, furor, oblivio, veternus, pluráque suboriuntur symptomata, quæ tandem mors insequitur. Ova quoque barbi piscis & lucii usque adeò venenata sunt, ut (si largiùs comedantur) hominem in magnum discrimen adducunt.

Curatio piscium eadem est, quæ fungorum, nisi quòd pisces non sint comedendi cum pyris sylvestribus sicut fungi: carnium verò suffocatarum malis repugnamus excitato priùs vomitu; infusis clysteribus, mox vini optimi & odorati potu admisto cydoniorum succo: à vomitu sumenda terra sigillata unà cum agallocho & mastiche. Denique eadem adhibeantur remedia, quæ in coli affectibus proficua sunt.

Litus sive linimenta, suffitus, odores & umbræ lethiferæ.

LItus ex hydrargyro quàm sæva symptomata excitet, vix credi potest: talia lue venereâ laborantes hujuscemodi litu inuncti persæpè experiuntur. *Curatio*: Sedantur hæc symptomata iis remediis, quæ passim apud Authores in curatione luis venereæ reperiuntur. *Si* corpus illitum hydrargyro fuerit ab imperitiore, confert illud illinire oleo hypericonis, baccarum lauri & scorpionum: vel totum corpus mulo aut equo exenterato includendum est, si æger pauper sit, tegatur acervo fimi penè putrefacti: vel totum corpus immittatur in balneum & ab egressu ejus muniatur alexipharmacis. Omni verò arte curandum, ut argentum vivum educatur è cerebro, quò maximè ejus virus vaporosum vergit. Nam ibidem frigiditate humoris pituitosi in cerebri ventriculis contenti sæpè cogitur, reditque in propriam substantiam. Capiti, spinæ dorsi, brachiorum ac pedum juncturis admovenda sunt emplastra vehementer attrahentia ex illo ipso argento vivo confecta. Laconicum quoq; hîc multũ præ-

præſtat, quale parari poterit ex ſulphuris, ſalis & bituminis ſuffitu: vel provocetur ſudor decocto ligni ſancti: membra tremula fovenda ſunt fœno viridi, dum in pratis Sole ſiccatur: dentes collapſos ac relaxatas gingivas juvat decoctum ex alumine: item pulvis corall. affricatus & mel roſaceum. Sequens unguentum magnarum virium eſt adversùs cuncta ſymptomata à Mercurio excitata. ℞. ol. hyperic. ſcorpion. ad ℔ß. bufones magnos no. tres virgulis verberatos, donec viribus videntur augeri: viperam Orientalem, quæ morſu pullum ſtatim exanimare poſſit: ſem. rut. Herb. ſcord ad ℥iij. coq. 2. hor. in balneo, inde exponantur Soli, ibique diu relinquantur. Hoc unguento inungatur totum corpus, potiſſimùm ſpina, caput & juncturæ.

Suffitus ex cinnabari & ſublimato quòd æquè periculoſa ſymptomata invehat, quàm argentum vivum, teſtatur tragœdia Doctoris Sonneman Medici Colonienſis, qui hujuſmodi ſuffitus virulentiam ac deteſtandam illius malignitatem ante annum prô dolor, expertus fuit. Is poſtquam Colonienſem

 quen-

quendam Dominum per suffitum Cinnabaris & Mercurii sublimati suo morbo liberare conaretur, eidem fidelissimè assistens, culcitram supra carbones infra positos pendentem & flammam à carbonibus & injectis pulveribus concipientem levare & amovere volens, fumum cinnabaris & sublimati ore suscepit, quo suscepto subitò in terram cadons spiritum emisit.

Curatio: Cùm symptomata suffitus cinnabaris ac sublimati æqualia sint symptomatis ab argento vivo resultantibus, ea quoq; remedia, quæ contra argentũ vivum valẽt, hîc usurpabim⁹. Sequens interim suffitus diligenter observandus est ℞. Rut. rosmar. hyperic. cepar. succin. ad q. s. coq in aceto acri vase optimè clauso, quo postmodum aperto suffitus bis in die excipiendus.

Umbræ lethiferæ expugnandæ sunt his remediis, quæ contra morbum comitialem valent, horum primaria sunt smaragdus, pœonia, ruta & similia: umbræ hæ enim quia terrorem incutiunt, sanguinem commovent, mentemque perturbant, unde facilè affectus epilepsiæ similes invehuntur: post smaragdum pœo-

pœoniam & rutam ſecundum obtinent locum ſemen cupreſſi & cranium hominis violenter mortui exciſum & ſtatim exſiccatum.

Odores fœtidi, tetri, putres, omnes maligni, quia cerebrum feriunt, & jejunis plurimùm nocent: adversùs hos valent cerebrum confortantia, odorata, ut roſæ, aliique flores bene olentes, ligna ſantala, poma fragrantia, lignum aloës, caryophylli, moſchus, zibethum, crocus, ſuffitus thuris, ſtyracis, myrrha, benzoin & c.



CAPUT XIV.

De *Philtris, faſcinationibus & maleficiis.*

DIci vix poteſt, quanta ſit vis venefica philtrorum, Præſtigiatorum & faſcinationum. Qua de cauſa ſi quis Philtro detentus, atque incenſus fuerit impotenti amore, ſi ſtercoris amatæ neſciente illo, Calceo ipſi-

us impositi fœtorem senserit, amor solvitur. Solvunt etiam amorem sectio venæ copiosa, purgatio vehemens, frequens cum uxore coitus, labor magnus, diuturna inedia, verbera, longa peregrinatio, timor magnus, magna tristitia: qui ingenui sunt, pudore & studio laudis ac gloriæ liberantur: levantur quoq; & juvantur assiduo aleæ & latrunculorum ludo, balneo frequenti, fabulis ridiculis, cantilenis, instrumentis musicis &c. pulvis margaritarum valdè utilis est, nec non mandragoræ radix sæpius assumpta, quæ in tali dosi exhibenda, ut oblivionem inducat, non verò insaniam. Non parum etiam utilitatis adfert moschus in vino largius & crebrius sumpto; prosunt præterea hirudines hæmorrhoidibus admotæ: Caput denique fovendum lixivio, in quo folia nenuphar lactuc. violar. beton. fl. stœchad. & hordeum crudum incocta fuerint.

Impedimenta coitûs maleficis artibus & ligationibus inducta expedies ac dissolves, si ex pugione, quo homo occisus fuit, tres facias annulos, quorum unum frigidus & ad coitum impotens

col-

clolo appensum gestabit, alterũ in digito, tertium cervici subdet. juvat quoque pugionem ipsum supponere cervicali: Plinius plurimùm commendat abrotanum pulvinari subditum: alii extollunt centaurium utrumque, minus scilicet & majus, quæ devoranda suadent. Si cyclamen feratur in domo, & verbena suspendatur, arcetur maleficium.

Quodsi ex odio aut malevolentia aliquis fascinationem patiatur, hunc exfascinabis aërem contaminatum mutando in lucidum: odoratis suffitibus ex cinnamõo, caryophyllis, xiloaloê, cypero: gratis odoribus moschi, ambari, zibethi: lapidem carbunculi, vel hyacynthi, vel sapphyri, vel smaragdi in collo gestando: ad præsentem fascinationem confert adamas brachio sinistro alligatus ut carnem tangat: Corallium valdè rubrum è regione oris ventriculi suspensum: id quoque præstant amethistus, chelidonius & gagates appensi: Jaspis item orientalis, topazius, carbunculus albus gemma alba dictus, quia nocte splendet. Omnes enim tales gemmæ, cujuscunque etiam sint coloris, carbunculi appellantur. Ex amuletis non la-

pidibus sunt mumia, radix pœoniæ moschus dens longior lupi vel canis: Inter cibos utendum assidue buglosso, petrosilino, carne lupi & potissimùm illius corde, scobe tenuissima, alliis, cepis, foliis fraxini, oleis, butyro recenti plurimo, lacte ovillo, cerebris gallinarum, amygdalis recentibus cũ saccharo: corpus purgandum elleboro vel lapide armeno: succus mandragoræ ad guttas 24. vel pulvis rad. ejus ad ℈j. assumendus. Omnium excellentissimum contra fascinationes & præstigias remedium est Deo salutis, corporis mentisque Authori ac Defensori unico pia vota facere, ejus auxilium in rebus afflictis implorare, mentemque sanam cum corpore sano frequens petere: Te ipsum verò ab omni fascinatione, præstigiis cæterisque veneficiis tutaberis, si herbæ paridis semen ad ℈j. quotidiè 20. diebus assumpseris: si argentum vivum pro amuleto collo suspendas: si lapidem æritem gestes: si lupinum oculum dextrum tecum feras: si plantam pedis vinculo stringas: si adamantem brachio sinistro alligatum teneas: si scyllam super limen januæ suspendas: si hyssopum

pum & lilium frequenter olfacias: si annulum ex ungula confectum portes: si pendeant è collo carbunculus, hyacinthus, sapphyrus.

Maleficia & Dæmones fugantur hyperico in domo suspensi: unde appellatur fuga Dæmonum.

Dæmonia vulturis cor portatum fugat.

Maleficia solvit pica avis assata vel elixa comesta, potissimùm in iis, qui ab ortu fascinati sunt. Idem præstat suffumigium ex dente hominis mortui trito.

Maleficium quoque solvitur, si sub cervicali, vel sub limine ostii per quod dæmonium ingreditur, supponatur avellana, vel calamus, in quibus argentum vivum sit inclusum.

Maleficium itidem tollit sanguis canis nigri omnibus domûs parietibus illitus: Idem præstat scilla integra in limine domus suspensa.

Maleficium nullum domui nocere potest, si artemisia suspendatur super limen domûs.

Maleficia omnia abs te effugient, si radicem bryoniæ tecum gestaveris.

Maleficiis ab omnibus protegit anthir-

thirrinon super limen ostii suspensum.

Dæmonum insidias nunquam experietur, qui radicem eryngii secum portaverit.

Eadem radix si sub vestibus dæmoniacis ponatur, tum dæmon confitebitur, quis & unde sit, & fugiet.


Conjuges semper concordes erunt, si vir cor cornicis masculæ & uxor cor cornicis fœminæ secum gestaverint.

Magnes gestatus tollit discordiam inter Conjuges.

Si quis ad aliquam vel aliquem nimis amandum maleficiatus fuerit, tum stercus recens illius, quem, vel quam diligit, ponatur manè in ocrea vel in calceo dextero amantis; hic alterutro indutus, si fœtorem senserit, maleficium quantocyus solvetur.

FINIS.

EPI-



EPILOGUS

LAbore ad finẽ perducto, tibi, Omnipotens Deus, *à quo est omnis medela, Eccl ci.* 38. v. 2. gratias ago, quas possum maximas, quod mihi indigno famulo tuo operandi scribendique voluntatem & facultatem perficiendi, cùm ad utilitatem proximi, tùm præcipuè ad majorem tuam gloriam paternâ benevolentiâ largitus sis, & humillimè oro atque obtestor, ut hoc opusculum à malevolorum injuriâ custodire ac vindicare, atque in eodem sanitatis & vitæ remedia quærentibus clementer assistere digneris, qui es vita & salus æterna. Amen.